This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE



870.8
F93r
v.2

RECENTIORUM POETARUM

SELECTA CARMINA

EDIDIT

CAROLUS POPPO FROEBEL,

DOCT. PHILOS. ET TYPOGRAPHUS.

VOLUMEN III.

IAC. CATSII PATRIARCHA BIGAMOS CUM
HUG. GROTII IONA.
IOANNIS SECUNDI SYLVAE.

RUDOLPHOPOLI
1822.

IAC. CATSII

PATRIARCHA BIGAMOS

CUI

HUGONIS GROTII

HISTORIAM IONAE

IUNXIT

C. P. F.

315330

LECTURIS EDITOR.

Postquam Iac. Catsii *Patriarcha Bigamos, quem edendum elegeram, volumen quod proposueram non implebat, ex* Hugonis Grotii silvis *Historiam Ionae depromere haud absurdum duxi, cum uterque autor e sacris literis argumentum sibi quaesiisset. Diversa tamen via utriusque, quam et argumenti diversitas monstrarat. Catsius igitur blandis*

elegis geminas Isacidis nuptias concelebravit, Grotius autem epica gravitate vatem rebellem et Nini luctus persequutus. Baudii *iambis utpote ad utrumque argumentum accommodatis satis concinne libellum finiri putavi.*

Jam satis est teneras patrio sermone Camoenas,
Et Batavam digitis increpuisse chelyn,
Sive verecundos Josephi scripsimus ignes,
Et Sephyrae vasto pectus amore calens:
Sive maritales regalis foemina jussus
Sprevit, et in poenam desiit esse potens:
Seu placuit casto leges praescribere lecto;
Seu placuit viduo ponere jura toro.

Nunc alio nos Musa vocat, vocat Assur et
Haran,
Et procul Eois subdita terra plagis:
Tigris ubi et celeres Euphrates colligit undas,
Atque Arabum rubro flumine tingit humum.
Dicere fert animus magni connubia sponsi,
Cui vix post septem frigora risit Hymen.
Ergo ades, et viridi lauro redimita capillos
Incipe disparibus, Musa Latina, modis.

Dum furit in fratrem, dum fervidus aestuat Edom,
Et rigido saevas increpat ore minas:
Dum memor erepti vindex insania voti,
Hoc quoque germano vult nocuisse suo:
Anxia sollicitam pertentat cura parentem,
Et vix jam somni munere tuta jacet.
Fluctuat, ingentique animum labefacta dolore,
Ipsa suos auget moesta Rebecca metus.
Vertitur ante oculos nati pereuntis imago,
Exilium alterius nec minus usque timet,
Ne scelus hos miseros faciat, vel poena, duobus
Optima vult natis consuluisse parens,

Ergo diu tacitis animum depasta quere-
lis,
Ingerit Abramidae talia dicta suo:
Nate, domus columen, mea sola et sera
voluptas,
Praesidium matris deliciumque tuae:
Cui patrium meruit fraus ingeniosa favo-
rem;
Falleret ignarum cum manus hirta se-
nem;
Cernis, ut ultrices frater despumet in iras,
Et tumido frendens pectore bella ge-
rat?
Aspicis, ut totis infensus viribus instet?
Quam vereor capiti vulnera dira tuo!
Da spatium, da sponte locum. Male cun-
cta ministrat
Impetus. Exigua frangitur ira mo-
ra.

Quos nequit ingenium, conjungit tempus amicos,
Plurima, ni fallor, commoda tempus habet.
Tempore maturos viridis trahit uva colores,
Tempore fert gratas terra perusta rosas.
Tempore cessat hyems, et temperat aura procellas,
Tempore saepe dolor mitior esse solet.
Non reor hac ultra tutum te sede morari,
Altera sed tellus est habitanda tibi.
Subtrahe vesano prudens fomenta dolori,
Inque locum transi, quo tibi tuta quies.
Invia virtuti nulla est via. Quolibet orbis
Relligio et pietas sunt veneranda loco.

Qui Deus ignotas Abrahamum duxit in oras,
Ille tibi profugo dulce leyamen erit.
Urbs antiqua jacet nemorosis vallibus Haran,
Qua medios Pison gurgite sulcat agros:
Totque patent Hevilae campi, Gihonque fluento
Nobilis et ripae fertilitate sitae.
Hic Labanus fixit placidis habitacula tectis,
Possidet immensas hic mihi frater opes.
Ille per Assyrias numerat sua praedia terras,
Et nitidos ducit laeta per arva greges,
Ille salebrosa pendentes rupe capellas,
Et teneras curto gramine pascit oves.

Ille armenta bonum, grandesque in terga camelos
Officiis cogit prona favere suis.
Sunt illi geminae florenti aetate puellae,
Eximii dignae principis esse nurus.
Hic tibi foecundi consortem quaere cubilis,
Quaque leves vacui taedia longa tori.
Ille tibi pulchram lauta cum dote maritam
In thalamos cupiet ducere forte tuos.
Sit tibi cura meis te jungere, nate, propinquis,
Aspera dum fratris concidat ira tui.
Si qua parens natas hic educat, abstrahe mentem,
His ego te thalamis abstinuisse velim.
Terreor exemplo. Major nam filius Edom
Ipse vides nobis taedia quanta ferat.

Illius uxores, rixis gens nata serendis,
Ut noceant, linguas erudiere suas.
Vivimus has inter longo jam tempore gentes,
Non tamen Hethitis, non Cananaea placet.
Heu fuge crudeles populos, fuge foedera lecti;
Hoc pater, hoc genitrix, hoc Deus ipse jubet.
Est Bethuel mihi prisca domus, qua stemma parentum,
Qua series generis fluxit honesta mei.
Hic mansueta magis, studiisque accommoda nostris
Ibit in amplexus sponsa petita tuos.
Talia narrabat lachrymans, repetitaque matris
Verba gravi senior comprobat ore pater.

Ibimus, Isaoides inquit, procul ibimus, et qua
Fata Deusque vocant, sponte sequemur, ait.
Parva mora est, mandata patris, jam certus eundi,
Accipit, et matri flebile dixit ave.
Illa gemens toto circumdans brachia collo
Oscula cum lachrymis non itefanda dedit.
Dumque vale ingeminat, tremulis vox faucibus haesit,
Singultu medios impediente sonos.
Jamque iter ingreditur, gressumque per ardua flectit,
Non rota, non sonipes, non comes ullus adest:

Multa patris virtus animo, moestaeque parentis,
Hinc amor, hinc fratris livor et ira subit.
Qua graditur, Deus ante oculos, Numenque verendum,
Inque animo purae relligionis amor.
Mons erat, et rigidum tendebat in aëra cornu,
Gramina saxosum rara cacumen habet,
Non platanus ramis frondentibus efficit umbram,
Non ver purpureo flore coronat humum.
Nulla per abruptas cernas habitacula cautes,
Perque cavas valles nulla vagatur ovis.

Ut stetit, aequoreis Titan se mersit in undis,
Lunaque nocturnis fraena parabat equis.
Dumque ruunt tenebrae, circum sua lumina flectit,
Quaque locet lassum se regione, videt.
Non usquam tuguri congestum cespite culmen,
Non casa defesso, non domus ulla patet.
Omnia dum lustrat, saxum circumspicit ingens,
Utque jacet, facta est pulcita dura lapis.
Decubuit pius Abramides, membrisque soporem
Imbibit, et somno lumina victa dedit.

Utque quies subiit, mulcent quoque somnia mentem,
Magnaque sopita dogmata mente capit.
Surgere protensas adspexit ad aethera scalas,
Angelicosque illac ire redire choros.
In summo sedet ipse Deus, mirabile visu,
Et rutilum sancto spargit ab ore jubar.
Tum media vox nube sonat: Dilecte Tonanti,
Accipe, quid Superi, quid tibi fata parent.
Ille ego sum magni Deus et pater Abrahami;
Ille ego sum generis spes columenque tui,

Hoc erit ecce tibi serisque nepotibus omen;
Te ventura dies arguet esse meum,
Hanc, quam nocte tuo pressisti corpore terram,
Qua patet, ut propriam, me tribuente, colas.
Haec stirpis dos sera tuae, gentisque futurae
Sors erit, et magnae patria clara domus.
Quippe tua faciam nasci de stirpe, piorum
Qui pater, et tantae causa salutis erit.
Et mox fama viri toto memorabitur orbe,
Et qua sol jungit, quaque resolvit equos.
Jamque iter inceptum secura perfice mente:
Auspiciis tutus progrediere meis.

Omnibus ipse locis adero: perque ardua saxa
Monstrabo tacito numine qua sit iter.
Incedes comitante Deo. Vestigia flectam,
Ne possint homines, ne noquisse ferae.
Dixerat. Abramidae vigiles in corpore sensus,
Et pulsa rediit nocte serena dies.
Utque novo sensit percelli pectora motu,
Credidit illustri Numen inesse loco.
Ergo sacrum pingui saxum perfundit oliva,
Invocat et magnum corde tremente Deum.
Alme pater, dixit, spatiosi rector Olympi,
Cujus opus tellus, sidera cujus opus;
Et maria, ingentesque sinus quos explicat aether,
Et quicquid coelum, terra, vel aequor alit;

Aspicis ignotis miser ut regionibus errem,
Utque peregrinum pes mihi tentet iter,
Nullus adest timido mihi qui vestigia frimet,
Quique viae fallat taedia nullus adest.
At gravis anxietas, et mens incerta futuri,
Obviaque est oculis fratris imago meis,
Insanusque furor, pronaeque in vulnera dextrae,
Et rabies nostris invidiosa bonis.
At Tu, Summe Parens, animis spes unica fractis,
Numina consiliis sufflce prona meis.
Ducat ad Haranios facilis me semita colles,
Quam moneor matris jussibus ire viam.

Postque exantlatos animique viaeque labores,
Da veteres reduci posse videre lares:
Posse videre meos, longaevique ora parentis,
Et patriis fumum cernere posse focis.
Sic mihi semper eris Deus, et tibi pectore grates,
Dum brevis haec nobis vita supersit, agam,
Semper honoratis cumulabo altaria donis,
Et cadet ante tuos victima multa focos.
His dictis iter ingreditur, sanctusque viator
Non nisi praesentem spirat ab ore Deum,
Verbaque praefatur, quae maximus approbat aether,
Gaudet enim tanto Numine teste loqui.

Tandem optata viro se fertilis obtulit Haran,
Culminaque affini sanguine juncta videt.
Vallis erat celsi pendens e vertice montis
Collibus exiguis arboribusque frequens.
In medio locus est pecori gratissimus umbra,
Uvida qua curvas invenit unda vias.
Alludunt sparsae sua per virgulta capellae,
Atque aries pulchri dux gregis agmen agit,
Stant mixti inter se stabuli pecorisque magistri,
Ille suis agnis prospicit, iste suis.
Non deerant alacres famulae, nec odora canum vis,
Turbaque in infestos quae gerit arma lupos.

Accedit pius Isacides, pronusque salutat,
Et leni placidos inchoat ore sonos:
Dicite pastores, vestrûm si cognitus illi,
Dicite, qua Labanus valle moretur, ait.
Anne viro stat salva domus, sobolesque, laresque,
Quasque suburbano gramine pascit oves?
Dicite: sic nunquam desint sua gramina vaccis,
Et multo dominam lacte capella beet:
Sic nova crescentes apportent foenora lanae,
Et saliat lactas dux gregis inter oves.
At senior tum forte pedo subnixus Alexis,
Dum recubat domini Panphagus ante pedes,

Sospes, ait, Labano domus est, et sospite vivit
Conjuge, nec desunt pascua laeta gregi.
Felix ille animi, strepitus fastidit et urbes:
Rus amat, et bobus rura subacta suis.
Ipsa favet laxis coeli clementia campis,
Et dominum multa messe coronat ager.
Bina virescentes soboles excrescit in annos,
Apta maritali Lia Rachelque toro.
Quarum una, ut gelidis satientur fontibus agni,
Virgineo properans huc pede tendit iter:
Et jam declivi descendens colle propinquat,
Moxque oculis dabitur conspicienda tuis.

Dum loquitur, notis sese pastoribus addit
Lanigeros inter virgo pudica greges.
Illa suos facili distinxerat arte capellos,
Et viridem nuda calce premebat humum.
Quin teneris alte cervix sublata lacertis
Sithonias visa est exsuperare nives.
Obstupuit juvenis praesentis imagine formae,
Et placido coepit sic prior ore loqui:
Salve virgineos inter celeberrima coetus,
O bene materno sanguine juncta mihi.
Isaco sum patre satus, genitrice Rebecca,
En adsum, generis pars quotacunque tui.
Dixerat, et niveo circumdans brachia collo,
Oscula de timida virginitate rapit.

Dumque rapit, tacitos sub pectore percipit ignes
Gliscere, et occultas emicuisse faces.
Non Veneris rabies labefacta per ossa cucurrit,
Sed, superûm fretus numine, castus amor.
Illa quoque ingenuo vultum demissa pudore,
Candida purpureis tinxerat ora rosis.
Is color est pulchra pendentibus arbore malis,
Is color Aurorae, cum venit, esse solet.
Ac novus antiquam quis venerit hospes in urbem,
Nunciat ignaro bella puella patri.
Et mores habitumque viri describit, et oris
Ingenuas, mixta sed gravitate, notas.

Excipit ille virum, dextraque inducere tectis
Gaudet, et alternis dicta referre sonis,
Multa super genitrice rogans patrisque salute,
Et quae causa viae, quove teneret iter.
Dum responsa parat, dum singula narrat Iacob,
Germanique minas, foemineosque metus:
Fercula cognato dapibus ponuntur inemptis,
Et quas grex dederat vel tulit hortus opes.
Pinguior e stabulis Harani ruris alumnus
Hoedulus, at nullo gramine pastus, adest.

Candida ponuntur ipsis cum matribus ova,
Libaque quae pueris villica pinsit anus.
Quin etiam molles epulas fecere columbae;
Pernaque, et e plenis vina petita cadis.
Vescitur Abramides. Sed non ita lauta palatum
Fercula, quam mentem virgo pudica movet.
Hanc oculis lustrat, penitusque in pectore condit,
Hanc vigil, hanc coram nocte silente videt,
Et petit, et vellet jam tum se posse potiri,
Praevertunt longas fervida vota moras.
Sic abit, ast imis insedit flamma medullis,
Nec dubio juvenis victus amore calet.

Postera lux ut prima rubet, thalamumque reliquit
Nympha, pruinoso quae vehit axe diem;
Se comitem sociis hospes pastoribus addit,
Perque cavas valles cum grege carpit iter.
Per montes graditur, rigidisque in cautibus errat,
Qua tulit humanos semita nulla pedes.
Non grave concretas illi calcare pruinas,
Non grave in adversos vultibus ire Notos,
Explorat gelidos imis in vallibus amnes,
Et latices circum lene fluentis aquae,
Atque adeo quae prata ovibus, quae saxa capellis,
Quae bona sint vitulis gramina, mente notat.

Nec satis hoc animo, totum complectitur orbem,
Qua Syriae melius parte vagentur oves.
Totus erat Corydon. Alium non Tityrus usquam
Inveniat ruris cultibus esse parem.
Interea explerat renovatis cornibus orbem,
Et nova conversis luna redibat equis,
Tempore quo mores Labanus studiumque nepotis
Et totum potuit perdidicisse virum:
Quanta fides, quam sollicitae prudentia mentis,
Quis labor, et magni sedula cura gregis.
Non decet hic tantos gratis te ferre labores,
Sis licet affini sanguine junctus, ait.

Non me care tuis juvenis ditescere curis
Fas erit, atque tua sedulitate frui.
Quod si te nivei pecoris juvat esse magistrum,
Ilicet hic pacto foedere noster eris.
Tu modo mercedis pretiumque et nomina signa,
Accipies meritis praemia digna tuis.
Distinguam domini partes, partesque propinqui;
Quaeque feret famulus commoda, quaeque nepos.
Tunc juvenis: Curare gregem stat certa voluntas,
Et quaecunque tuus munia poscit ager;
Dum pretium sit nata minor, dum filia Rachel
Servetur thalamis associanda meis.

Hac septem servire velim mercede per annos,
Nec fuerint tantae taedia longa morae.
Solamen speratus amor dabit. Omnia spernam,
Si generum tandem me sinis esse tibi.
Accipe, daque fidem. Non me labor iste gravabit,
Si modo promissi stent mihi jura tori.
Annuerat senior. Nec segnius impiger heros
Ardua montani munia ruris obit.
Curat oves, oviumque duces, hoedilia curat,
Nec lupus hic spolium, nec ferus ursus habet.
Nulla boves scabies, contagio nulla capellas,
Non maculat niveas lurida pestis oves.

Aut si forte febris miseros concusserat agnos,
Inque bovis steterat tergore dura cutis:
Ille sagax ferro virus compescit et igne,
Et varium medica discutit arte malum.
Interēa magnum sol aureus ambit Olympum,
Et peragit cursus aemula luna suos:
Effluxere dies, annosque prementibus annis,
Ante fores tandem septima messis erat.
Tum meritis patuit via, tum se magnus amator
Explicat, et votis conjugis ausa capit.
Impatiensque morae (mora nam gravis omnis amanti est)
Debita non segni praemia mente petit.

Nota tibi nostri, dixit, sunt foedera pacti,
Nota tibi fidei tempora longa meae.
Jam mihi septenis abiit sub solibus aetas.
Sat domini lucris servitioque datum.
Exspectata diu tandem promissa reposco,
Muneraque hoc ipso persoluenda die.
Da quod amo, quod amem porro, quod amabimus olim,
Sit mea, quae patris cura puellа fuit.
Clamat ager testis, clamat caper, agnus et hoedi:
Pastor, io, jam nunc optima virgo tua est!
Bethulides quid agat? (nec enim jam causa negandi est)
Annuit: et juveni, Quod petis, inquit, habe.
Et jam facta dies, multos sperata per annos,
Extulerat coelo splendidiore jubar.

Nulla mora est: epulis mensas solennibus implet,
Virgineosque ornat candida palla sinus.
Fulgent insolita geniales luce penates,
Et sponsum facies arguit ipsa novum.
Accumbunt juvenes positis ex ordine mensis,
Undique festivo flore tegente toros.
Sertaque et insontes myrto redolente coronae
Indicium salvae virginitatis erant;
Tecta strepunt, circum clamosa remurmurat Echo,
Et juvenum modulis consonat omne nemus.
Gaudia testantur praeruptis cautibus antra,
Perque cavas valles ardua saxa fremunt.

Nomen Iacobi Zephyrus subsibilat alnis,
Quaeque strepunt, referunt verba Rachelis aquae.
Haec aliquis salioi incidit, vel gramine formant,
Aut junctis alius ludit arundinibus.
Mille modis gaudent. Quis enim non gaudia curet?
Ista dies populis causa salutis erat.
Non desunt pueri, qui cantibus aëra mulcent:
Nec sine felle sales, nec sine faece merum.
Postquam pulsa fames epulis, et linquere mensas
Sponsus, amor, comites, et sopor ipse jubet;
Nox ruit, et tenebris involvitur arduus aether,
Lunaque sub densa condita nube latet.

Quoque minus splendent radiantes aethe-
re flammae,
Hoc magis illustri lampades igne mi-
cant.
Exclamant juvenes: Procul, o procul ite
puellae,
Sacranda est cupido, jam nova nupta
viro.
Sponsus adest, jam sponsa veni, nec, ut
ante, repugna:
Huic, cui jus thalami jam dedit ipse
pater!
Talia vociferant, ferit aurea sidera clamor,
Et domus ingenti perstrepit ampla so-
no.
At dum turba ruit, pueri innuptaeque
puellae,
Dum canit argutis tibia festa modis,

Dumque per anfractus, dum vasta per atria transit,
Virgineos penetrat dum nova nupta choros;
Sponsa per insidias tenebris involvitur atris
Altera, nec fraudem qui notet, ullus adest.
Lia subit furtim, similique in veste refulget,
Flammeoloque genas, ut nova nupta, tegit.
Lia facem sequitur, quam praelucere sorori
Fas erat, et mendax pronuba taeda fuit.
Applaudunt sponsae falsa sub imagine matres,
Callidus ipse dolum dum regit arte pater.

Sponsus adest, scanditque torum; nihil illa recusat,
Et partes tota nocte sororis agit:
Ille dolos nescit, crassoque errore tenetur,
Inque sinu dominae se recubare putat.
Error inest cupidis amplexibus, errat amator:
Falsa sub illuni gaudia nocte latent.
Lia silens fruitur tenerae Rachaëlis amore,
Dumque silet, sponsus dulce peregit opus.
O pia simplicitas! muti peraguntur amores,
Verbaque laudatus surripit ipsa pudor.
Non loquitur, patiturque novae documenta maritae,
Et quod non audet dicere sponsa, facit.

Tempus erat, dubiae cum prima crepuscula lucis
Montibus inspergit vix bene nata dies.
Tale dabat thalamo roseis Aurora quadrigis,
Quale fere nemori lumen inesse solet.
Optatae Abramides faciem spectare puellae
Dum cupit, o tenebras sol, ait, alme fuga!
Respicit, utque videt, quod non vidisse juvabat
Invenit, et falli gaudia sensit amor.
Ambigit, attonitusque stupet, propiusque tuetur,
Atque ait: An sensus ludit imago meos?
An nondum ignavo detersi lumina somno?
Insidiasque mihi lux vitiosa facit?

Quis me torpor habet, quis me malus abstulit error?
Talia, ni fallor, non gerit ora Rachel.
Ah, ubi nunc, ubi nunc rosei spectabilis oris
Ille color, flammae dulcis origo meae?
Heu mihi, quam fragilis jucundae est gratia formae,
Me miserum! virgo facta videtur anus.
Anne igitur solitum nox abstulit una colorem,
Dum calet amplexu nupta pudica meo?
Aut nimium brevis est promissae forma puellae,
Aut nimium longo tempore verna fuit?
Dum quæritur, rutilis fulgens Matuta capillis
Majorem nitido spargit ab axe diem.

Jam tenebrae fugiunt, jam fit mage lucidus aether,
Totaque jam juveni Lia videnda patet.
Ecquid agat? litesne serat, thalamoque puellam
Exigat, et rigidis increpet ausa minis?
Vel patriam repetat, vel qua patet orbis abibit?
Aut miser in sylvis tristia fata gemet?
An tactos spernet thalamos, et foedera lecti
His temerata dolis dissolüisse volet?
Dum furor in cursu est, surgit, sponsaque relicta
In socerum iratus talia dicta jacit:
Egregium facinus! quid? avunculus ista nepoti?
Quid? socer haec genero? vah, ubi pacta fides?

Tune viro furtim doceas se jungere natam,
Obscura quoties omnia nocte silent?
Anne verecundis mos convenit iste puellis?
Vah, dolus a casta sit procul ille domo.
Non pater hoc, non tutor agit, non provida nutrix,
Si qua verecundi cura pudoris adest.
Vix lenam decet istud opus, non illa puellam
Subjiciat juveni, ni prior ille roget.
Peccastis gemini; genitor dum crimina suades,
Filiaque ad patrios obsequiosa dolos.
At tibi servivi septem, male fide, per annos,
Nempe die soles, frigora nocte tuli:
Et capris, suibusque tuis, stabulisque vacavi,
Et mihi cura gregis nocte dieque fuit.

Me curante nitent cultu meliore penates,
Tota mea splendet sedulitate domus.
Auximus ingenio census, nostroque labore
Assiduos foetus caula benigna dedit,
Saepe fuit nostro lupus insidiatus ovili:
Saepe fuit nostra bellua pulsa manu.
Cur igitur pretium, cur debita pignora mutas?
Nec datur optata conjuge posse frui?
Quin age, solennis recitetur formula pacti:
Festa tuae Liae non fuit ista dies.
Hanc peto, quam merui, quam pro mercede dedisti,
Quae mihi legitimo foedere sponsa fuit.
Sponsa fuit, jamque uxor erat, nisi credulus error
Lusisset sensus nocte silente meos.

Uxor erat data: sola fides, sine corporis usu,
Mutua corda ligat, conjugiumque facit.
Quid facis infelix? Duce te sum factus adulter,
Dum furtiva meus pondera lectus habet.
Vah facinus! pellex facta est soror ipsa sororis,
Quae mihi, quod nunquam debuit esse, fuit.
Conjugium solenne, pater, non crimina posco;
Ut conjux natam, non ut adulter, amo.
Abrumpit manifesta dies, quos junxit amantes
Abdita nox, tenebris insidiosa suis.

Quin age, redde meam, falsos detestor amores:
Legitimus nunquam fit sine mente torus.
Dum loquitur, quaeritque senex tam justa querenti
Quid regerat, culpae conscia lingua silet.
At postquam dubius partes se torsit in omnes,
His sua vix tandem vocibus ora movet:
Ecquid, ait, juvenis confidentissime, pergis
Jurgia decrepito dura movere seni?
Sacra tibi subeat capitis reverentia cani,
Et pretio constet nostra senecta suo.
Non haec ille tuus genitor grandaevus eunti,
Improbe, non genitrix haec tibi jussa dedit.

Moribus haec aliena tuis, aliena tuorum,
Atque aliud pietas relligiosa docet.
Taedia quid durosque juvat memorasse dolores?
Quisquis curat oves otia pastor agit.
Ridet ager, ludunt graciles per rura capellae,
Ista nihil rigidi cura laboris habet.
Non tibi vel rastrum juvenilia membra fatigat,
Nec fit ab attrito dura ligone manus.
Non timidus pendes celsa frondator ab ulmo:
Nec miser incurva gramina falce metis.
Sed viridi recubans patulae sub tegmine fagi,
Aut canis, aut dulci membra sopore levas,

Aut vernas texis vario de flore corollas,
Quas gerat in comtis dulcis amica comis.
Aut socias cannas, aut ludis amabile carmen,
Aut gratum dominae vimine texis opus.
Nunc lino volucres, nunc fallis arundine pisces.
Delicias pariunt auraque et unda tibi.
Delicias natura suas spatiosa recludit:
In tua se pandit gaudia totus ager.
Circum te convexa patent et lucida coeli
Atria, te recreat cantibus omne nemus.
Felix, o nimium felix, tua si bona noris,
Nec satias tanti sit tibi Lia boni.
Materies certe non est tibi justa querelae,
Et frustra vitae tempora dura crepas.

Virgo comes tibi semper erat per prata vaganti,
Virgo animi requies praesidiumque tui.
Illa dies pluvios grato sermone fefellit:
Illa tibi fesso dulce levamen erat.
Dumque tuos petulans truncis incidis amores,
Multa salix passim falce notata tua est.
Fraxinus et, memini, nostris celeberrima silvis
Carmen in hirsuto cortice tale gerit:
Fraxine, vive diu: reduci cum fronde virebis,
Ibit in amplexus pacta puella meos.
Rusticus haud capit haec, nec qui legit ista viator,
Sed mea qui novit foedera, rite capit.

Sic tibi per septem messes vixisse molestum est?
Haeccine sunt humeris pondera dura tuis?
At mihi prima genas tegeret cum flore juventus,
Non vitae facies dulcior ulla fuit;
Talia vel quivis sibi commoda quaerat amator,
Haec mihi si dederis praemia, pastor ero.
At quereris, quod Lia tibi pro conjuge cesserit,
Pacta tuo fuerit cum Rachaëla toro.
Accipe responsum. Minor hic sine conjuge dormit,
Dum jus nubendi filia major habet.
Tempore quae prior est, prior hic quoque nata marito
Jungitur, haec patriae regula sancta meae est.

Ordine quo nasci datur, hoc sponsalia surgunt

Ordine, naturae convenit iste modus:
Sic decet, et ratio est. Nam quae magis eminet annis,
Plus sapit, et vegeto fit magis apta viro.
Legibus hic agitur. Quin te quoque jura coërcent;
Quippe parem causam civis et hospes habent.
Et facto si crimen inest: tu criminis autor,
Non mihi probrosum, quod facis ipse, puta.
Fraus tua larvata decepit imagine patrem,
Perque dolum fratri debita vota tulit.
Si te sponsa virum, juvenem si virgo fefellit,
Te docuit mater fallere posse senem.

Non potes a quoquam facto propiore refelli,
Cum fueris nostri criminis ante reus.
Sic dolus usque dolo, sic ars eluditur arte.
Major et in fratrem fraus tua nuper erat.
At superest aliud, quod et hic tibi fortiter obstat:
Jamque elabendi rimula nulla patet.
Servasti ingenuam tota tibi nocte puellam,
Basia mille tulit, basia mille dedit.
Quid, delibato jam virginitatis honore,
Ad patrios redeat filia moesta lares?
Non decet hoc castas. Quin tu, temerarie, nescis
Virgineum nunquam posse redire decus?
Crede mihi, zonae qui vincula prima resolvit,
Huic virgo stabili foedere juncta manet.

Concubitus lex summa tori est, contractus amantum

Altera. Conjugii te facit illa reum.

Pactis stare duos et convenisse decorum est,

At pondus thalami vincula majus habent.

Est leve, si soror est carae supposta sorori,

Utraque, quod credis conjugis esse, facit.

Si formosa magis Rachel est, magę nubilis haec est:

Maturisque magis moribus apta viro.

Improba causa tua est. Socii desertor amoris,

Si sapis, ad thalamos et tua castra redi.

Per me Lia tua est; junxi propriamque dicavi.
Id pater in natas juris habere solet.
Per te Lia tua est; animo nam conjugis illam
Accipis, et frueris virgine jure viri.
Ipse quoque assentit, patris dum jussa peregit,
Inque toro titulum conjugis uxor habet.
Oscula non aliâ fixisti mente puellae,
Oscula non aliâ conditione dedit.
Mente tua est, thalamoque tua est. Hic compare gaude,
Qui spolium raptae virginitatis habes.
Dixit, amatori vox ultima haeserat aures:
Jamque iterum in labris, quod loqueretur, erat.
At socer ardentem procedere longius iram
Jam magè pacato protinus ore vetat.
Ne saevi, juvenis: nec enim promissa retracto.
Non erit alterius, quae tibi pacta fuit.

Stat jurata fides. Tua sit, tibi nubat oportet:
Juncta tibi stabili foedere, Rachel erit:
Sed tamen et Liam ne dedignare maritam,
Quae jam dulce tui pignus amoris habet.
Conjugium, septem celebra solenne diebus,
Sitque operis merces digna puella tuis.
Ac solitos curare greges, velut ante solebas,
Incipe, dum veniat septima rursus hyems,
Id tibi nunc facile est. Nec enim jam solus obibis
Prata; tibi comites uxor et uxor erunt.
Vel potius (magis hoc si forte videbitur aptum)
Una greges tecum curet, et una domum.

Una cibos famulis, epulas mensamque marito,
Una paret culto lintea munda toro:
Altera per montes, per devia rura capellas,
Aut tecum in viridi gramine pascat oves.
Cum geminis pariter jucundas divide noctes.
Una vacet pecori, dum vacat una tibi.
Stramine saepe super foenoque jacebitis alto,
Saepe dabit facilem gramen et herba torum;
Saepe greges inter longos memorabis amores,
Inque sinu dominae carmina saepe canes.
Saepe cubans dulcem gelidi prope fluminis undam,
Aure bibes murmur lene fluentis aqua.
Aemulaque alterius si forte videbitur esse
Altera se cupiet quaeque probare tibi.
Crescet amor zelo, capient exempla vicissim:
Inque vices sibimet calcar amoris erunt.

Haec dixisse sat est. Rata sint connubia Liae.
Ereptus latebras debet habere pudor.
Talibus instabat senior. Sed frigidus horror
Ossa quatit juveni, tardaque membra ligat.
Quid faciat? Negat ad patrem vitiata reverti;
Et minor illaesa virginitate gemit.
Altera corpus habet: sed possidet altera mentem.
In dubio conjux haec sit, an illa, magis.
Ergo fides geminis simul est promissa puellis;
Alternasque faces ventilat unus amor,
Altera sit conjux; quia sit parere necesse:
Altera conjugium pignus amoris habet.

HUGONIS GROTII

HISTORIA IONAE

PARAPHRASTICO CARMINE.

Immersum vitiis populum clamoribus urge,
Cujus sancta mihi dudum versantur ob ora,
Et poenam commissa petunt, scelerumque nefanda
Implevit terras, nunc scandit ad aethera moles.
Haec refer, atque minas verbis et jurgia misce.
At miser, heu, sperans complentem numine cuncta
Effugisse Deum (nec enim mandata placebant),
Ad Cilicum terras vicinaque littora Tauro
Funestum molitur iter. Jacet inclyta portu,
Summa Palaestinae tellus ubi desinit orae,
Urbs vetus, Andromedes quae vincula jactat Ioppe.
Huc male sanus abit vates, et forte carinam
Invenit ad liquidi properantem flumina Cydni.

Addit se nautis comitem, pretioque soluto,
Hospitium capit infelix, et numinis almi
Desertor fragili mavult se credere ligno.
Principio faciles aurae, sperataque Tarsos
Non procul, at subito fatalis inhorruit aër,
Pontum omnem turbante Deo, sonuere procellae,
Et fudere novum nubes mare nec super ullum
Discrimen rebus: caelum nox una salumque
Miscuit: ereptam reparabant fulmina lucem.
Nec temere insani perdunt sua murmura venti:
Circum vela fremunt: et se jacit omnis in unam
Tempestas collecta ratem, jamque hiscere credas
Compagem, fractamque trahi sub fluctibus alnum.

At trepidi nautae et pallentes morte futura,
(Heu gens indocilis veri, fictaque parentum
Relligione nocens) partiti numina votis
Inclamant gemitu frustra, precibusque fatigant
Quos homines fecere Deos: hic Belon, at illo
Astarten, squamisque insignem corpora multis
Dercetin: at patrios alii, nunc sidera, reges,
Iasiden, totamque domum, generumque volucrem
Horrida gestantem Phorcynidos ora Medusae:
Atque hunc praecipue, dotali ut sede profectos
Incolumes det posse suam contingere Tarsum,
Tarsum pennigerae referentem nomina plantae,
Quin etiam merces, auri spes una parandi,

Cujus amor tantos docuit perferre labores,
Jactantur pelago, navem ne verteret omnem
Accedens ventis onus, et demitteret alto.
Ille autem interea tantorum causa malorum
Ima puppe jacens somnum capiebat Ionas:
Seu pavor abstulerat sensus, nec corporis aegri
Illa quies, sed torpor erat, seu talis imago.
Hoc agitante Deo, sua magna oblivia vati
Objecit, pressumque animum graviore veterno.
Non tulit hoc rector trepidae ratis, et: Tibi, dixit,
Nunc unde iste sopor? quin nosti tu quoque si quem,
I, supplex venerare Deum, rituque parentum
Sollicita, si forte aliis clementior ille
Respiciat miseros et fata instantia vertat.

Nec dubitant nautae, caeli quod suscitet iras
Esse caput secum, culpamque unius in omnes.
Ferre necem. Motis quin ergo quaerimus urnis,
Exclamant omnes, quem poenae fata reposcant?
Quis nunc praecipiti volvi putet omnia casu;
Ac non lege data? Certum sors missa peregit
Arbitrium, vereque reum damnavit Ionam,
Et vates de vate fuit. Tum quaerere nautae;
Quis genus, unde domo, cur et quibus adsit ab oris,
Quod vitae sectetur iter, quo crimine sontem
Incusent superi, quae tantae causa procellae?
Sic illi instabant. Sic contra Amithaone natus:

Gens Hebraea mihi, studium fuit (atque fuisset
O utinam semper!) rerum servire parenti,
Qui caelum movet et caeli stellantia signa,
Cujus opus terra est, pontique haec mobilis unda.
Obstupuere viri, majusque per ima cucurrit
Ossa gelu. Subigunt sontem delicta fateri
Spretaque magna Dei mandata, fugamque rebellem.
Tum quid opus facto rogitant, quave arte parandum,
Sideret ut tumidis infensum fluctibus aequor,
Crescentesque minae. Cum jam nihil ille precatus,
Tollite me me, inquit, quem vestris fata periclis,
Quem toto petiere mari, me mergite ponto:
Jam pacatus erit: merui, nec ferre recuso:

Exsolvam insontes, et navem morte piabo.
Certavere quidem connixi remige multo
Eluctari undas proramque advertere terris.
Nequidquam: longe littus fugit, undaque contra
Insurgens nullam patitur sperare salutem.
Cessit turba malis, tuque, o justissime, dixit,
Parce Deus nobis hanc velle adscribere caedem
Praedamnatae animae, nec leto ulciscere letum,
Nil male de nobis illum meruisse fatemur:
Nec nocet ira viro, nec habendi caeca cupido,
Sed motae non sponte manus, tibi reddimus illum,
Quem repetis, cogit tua nos invicta voluntas.
Talia vix fati, summa de puppe volutum

Praecipitant, simul ille cadit, simul omnia
coelo
Nubila diffugiunt, positis quoque fluctibus
unda
Detumet, et lenes veniunt ad suppara venti.
Perculit attonitos divina potentia nautas,
Atque ejurato falsorum horrore Deorum
Supplicibus votis aeternum numen adorant:
Hunc et muneribus placant et sanguine fuso.
Interea sulcans immani corpore pontum
Bellua missa Deo vivum deprendit Ionam
Fluctibus in mediis, et vasto sorbet hiatu.
Ille in visceribus monstri (mirabile dictu)
Illaesus manet et pelago novus incola fertur.
Sentit et incumbens capiti mare, sentit et
aequor
Impelli tranante fera. Quis credere possit,
Captivam tantis animam durasse sub undis?
Duravit tamen, et tam dira sede morantem

Tres interpositis Soles videre tenebris.
Hoc tunc navigium misero carcerque domusque,
Hoc templum fuit; hinc calidas effudit ab imo
Corde preces, cecinitque haec tristia carmina vates:
Quanquam terrificis me fata ultricia monstris
Exagitant, vitamque traho vix anxius ultra,
Spes tamen est has me interea non perdere voces:
Hinc etiam coelo dabitur via, piscis in alvo
Conditus, infami tumulatus membra sepulcro,
Verba loquor supra nubes et sidera supra,
Exaudita Deo, tu me his, rex magne, nocentem
Mersisti tenebris, ubi me premit alta vorago,
Undaeque fluctusque tui, mixtique profundo

Gurgite longinquis procul e regionibus amnes.
Et merui ereptus superis amittere lucem
Adspectusque tuos, tamen haec fiducia moestum
Solatur fore, me Solymas ut sistat ad aras
Laeta dies, festosque adytis instauret honores.
En tot aquae circum, rapidisque intorta fluenta
Vorticibus: tum multa caput circumplicat alga.
Vix spirare datur, tellus super urget acutis
Haerentem scopulis, et duris vectibus obstat.
Quin etiam aequoreae redituro in saecula rupes
Praeclusere viam, tu spes super unica restas
O Deus, e mediis animam tu faucibus orci
Eripies, reddesque diem, cum perdita sese

Quaereret, in mortis regno cum vitâ jaceret,
Dulce fuit meminisse tui. Caelestia templa
Perrupere preces felixque audacia voti.
Vos nunc ite, quibus pietas errore profano
Circumventa perit, quorum sibi quisque figurat
Sponte metum, et mendax in vanum curat laborat,
Seque bonis spoliat contemto auctore bonorum.
Me juvet aeterno grates persolvere regi,
Votivumque adolere sacris altaribus ignem:
Ille pater bonus, ille hominum tutela, salusque.
Talia dicentem toto vehit aequore pistrix,
Ac tandem undisono multum spatiata profundo
Littora summa legit, propiusque admovet oras.

Hic sese immenso patefecit bellua rictu,
Numinis imperio, magnisque exercita fatis,
Ejectumque virum vastae penetralibus alvi
Imposuit terrae. Tum sic bonus arbiter orbis
Edoctum sua jussa pati compellat Ionam.
I propere, celsasque Nini pete nuntius arces,
Et mea fer totam late mandata per urbem.
Ille iter accelerans praecepto paret herili,
Assyriasque domos spatiosaque moenia tangit,
Quae non ante citis circum sit passibus ire,
Quam ter Sol oriens ter merserit aequore currus.
Iamque emensus erat quantum via siverat urbis
Lucis ab exortu supremam ad vesperis horam,

Tristia perculsas referens oracula ad aures:
Intra bis decies geminatae tempora lucis
Corruet excidio Ninos, et disjecta jacebit.
Submisere Deo trepidantia pectora cives,
Responsoque habuere fidem, tum triste celebrant
Iustitium, nulloque sibi discrimine cuncti
Indixere famem: nec sueto gaudet amictu
Turba, sed hirsutis indurat corpora velis.
Ipse Nini dominus, quem circum mille tuentur
Excubiae, cui tot pendunt famulare tributum
Ignotae gentes, cujus victricia signa
Terrarum pars tanta timet, simul horridus aures
Nuntius impulerat, solio descendit avito,
Unde triumphatis Asiae regnator opimae
Iura dabat populis, trabeaque exutus et auro

Cymphiis praefert horrentia tegmina setis,
Et tellure sedens inspergit pulvere membra.
Adjicit exemplo legem, procerumque vocato
Concilio jubet haec populis mandata referri:
Ducite, turba Nini, longo jejunia luctu.
Ipsa etiam moesta in stabulis armenta dolores
Testentur nostros, et equorum bellica proles,
Balantumque greges, non ulla aut graminis herbam
Attingat quadrupes, aut fluminis hauriat undam:
Dura sed in nudo sedeant velamina tergo.
Idem homines, idem pecudes exaequet amictus.
Inclamate Deum findentibus aethera votis:
Sed simul exactae damnantes crimina vitae
Et longas scelerum furias, insistite rectae

Mentis iter, foedaque manus purgate rapina.
Quis scit an avertat nobis quod triste minatur
Exitium Deus, et posita deferbeat ira?
Spem probat eventus, peccati poenitet urbem,
Suppliciique Deum, vidit namque omnia facta
Omnipotens, vidit pertaesas crimina mentes,
Nec jam sustinuit decretas sumere poenas.
Sed non tam clemens animi indignatur Ionas
Stare Ninum, cupiens immensis cladibus entum
Esse ratas, diro tulerat quas carmine voces.
Ergo bile tumens et amaro percitus aestu,
Hoc erat, exclamat, tua cur mandata subire
Defugerem, hoc patria mecum tellure loquebar,
Hoc et Coryciae peterem cum littora terrae.

Noram ego quam clemens et qua
esses,
Quam veniae largus, facilisqu
lapsis,
Protinus et culpas precibus dona
Non odii retinens, omni sed suet
Humanos placida miserari mente
Nunc quando Assyriae visum
genti,
In me verte minas: atque hanc,
pe vitam,
Quam vix aeger ago, qua mors
ipsa est.
At pater omnipotens, quin ho
dere, dixi
Aequius, an justo temet moeror
Et tibi qua causa tanto cor fluctu
Exiit invisam proles Amithaonis
Nec procul a muro, qua Titan

Matutinus equos, parvo sibi culmine tectum
Exstruit, exspectans, urbem quae fata manerent.
Hic sedet, hic umbras et frigora captat opaca.
Nam Deus hac ipsa stirpem regione locarat,
Quam dici dixerunt Eoo nomine gentes.
Haec amplexa casam, sinuosaque brachia late
Protendens, rapidos arcebat frondibus ignes,
Dulcia turbato praestans solatia vati.
Postera sed cum se roseis aurora quadrigis
Tolleret, exiguo succedens corpore serpens,
Sponte Dei, certo radicem vulnere laedit,
Vitalesque trahi succos vetat: illa recisis
Procumbit foliis demisso languida collo.
Interea primo procedens Phoebus ab ortu
Igne coquit terras: Phoebo Deus addidit Eurum
Omnia pestiferae torrentem flatibus auras.

Atque ea flamma poli nudo dum vertice vatem
Urit anhelantem, fracta vi corporis omni,
Marcidus extremam sibi questibus advocat horam.
Et, quid adhuc, clamat, quid adhuc miser ille moratur
Spiritus? invideo fatali sorte peremtis.
Pontus ubi? mala cur toties in tanta reservor?
Tum rogat omnipotens, merita num percitus ira
Aestuet, ereptam repetens clamoribus umbram.
Ille refert, magnis incendi pectora causis,
Et, si vota juvent, votis accersere mortem.
Tum pater: Usque adeo vili pro caudice pugnas?

Huic parci fas grande putas, quem non tua sevit
Dextera, non olim sumti coluere labores,
Quem genitum nox una dedit, nox abstulit una?
Tu florem Assyriae, tu plenam gentibus urbem
Me servare vetas? si non te armenta movebant
Pro fratice iratum (mihi sunt tamen haec quoque cordi)
An nihil et decies hominum bissena putabas
Millia, materno pendentis ubere natos,
Aut modo desertis reptantes denique cunis,
Indociles, dextrum quod iter, quae semita laevo
Calle ferat, pravique et honesti noscere fines?
Conticuit vates jam se quoque judice victus,
Et sua mansuris commisit crimina chartis.

Hoc monitore, Dei sanctos audire vocatus,
Quisque es, et lapsus non desperare memento:
Utque feras veniam veniae placabilis esto
Tu quoque, nec vitiis succense longius aequo.
Fer casus durosque animo constante labores.
Crede revicturos artus, morituraque mortis
Imperia, hoc superis iterum donatus Ionas
Monstrat enim, Christi tumulo redeuntis imago.

Transversa sors acumen humanum rapit,
Nec destinata semper ex voto cadunt.
Non est quod ergo quispiam fidat nimis
Vigore mentis, consilique dotibus.
Namque ipsa partes vindicat sibi suas
Fortuna, sive vis operta coelitum,
Fatique numen, haec potestas subruit,
Fundoque vertit saepe prudentum virum
Consulta docta, ne ferox mortalium
Mens insolescat, immemorque sit Dei.

Baudius.

REGINAE

PECUNIAE

REGIA.

Scripsit hoc elegans et festivum poemation auctor in Hispania, cum illustriss. Cardinali Ioanni Taverae Archiepiscopo Toletano a Latinis Epistolis et Actis esset.

IO. SECUNDI

S Y L V A E

DEAMBULATURIS

PATEFACTAE

A

C. P. F.

CANDIDIS LECTORIBUS

S.

Ne promissa, quae prima Basiorum *editione dederam, irrita fierent, ex* Io. Secundi *copiis* SYLVAE *uti deambulaturis patefierent curavi. Neque dubium mihi, lectores, scenae varietate captos, his peragrandis delectatum iri. Offendent sane arbusculas, non publico usui, sed privato officio a magistro plantatas: quarum tamen umbella, et viatoribus idonea videbitur recreandis.*

Introite igitur, sylvestris Musae cultores, et hisce, qualiacumque sunt, quae vos invitant, fruimini, nostrae opellae uti aequi aestumatores persistatis, rogati.

Scrib. Rudolphopoli Cal. Mart. 1822.

Est via perplexis per longa meatibus antra,
Regia gemmatis qua panditur aurea valvis
Ingentis Divae, paribus quae cum Iove summo
Obtinet auspiciis secti moderamina mundi.
Si qua fides rebus dubiis, jacet orbe sub illo,
Qua Tagus auriferas volvit rubicundus arenas,
Nidorem fumosque exhalans divitis aulae
In terras, Auguste, tuas, ditissime regum,
Carole, Telluri pacatae sidus amicum;
Inque urbem tractusque tuos, amplissime Praesul

Tavera, o decus Hesperiae, cui cincta recurvis
Moenia gurgitibus ripisque nitentibus auro
Submisit venerans nuper sublime Toletum;
Divinumque senem praefecit ditibus aris,
Maxima quem Dominum suspirat Roma, Tagoque
Jampridem Tybris liventibus invidet undis.
Non illuc Phoebus flammis rutilantibus intrat,
Nec cum prima vehit sopito lumina mundo,
Nec cum devexo premit arva liquentia curru
Tethyos undisonae, nec cum flagrantibus horis
Aethere stat medio; quid enim fulgentia late
Perpetuis auri radiis et jaspide fulvo
Atria, nativasque faces jaculante pyropo
Cynthius immisso nequidquam lumine lustret?

Regina in mediis magnae penetralibus aulae,
Aurea tota, sedet solio sublimis in aureo,
Diffundens radiantem omni de corpore flammam:
Qualis erit species, solido si cudat ab auro
Intonsi statuam Phoebi Vulcanus et ora
Flammigeris cingat radiis, et in igne repostae
Educat subito candentis pondera massae.
Haec est illa, cui famulatur maximus orbis,
Diva potens rerum, domitrixque PECUNIA fati,
Telluris magnae Plutique sacerrima proles.
Cujus adorati petierunt saepe Tyranni
Foedera, saepe suas spes damnavere repulsi,
Ex quo Pellaei juvenis temerarius ardor,
(Credere si fas est, nec fallit cana vetustas,)

Magnanimae tentavit herae violare pudorem.
Tempore nam ex illo tacitis nova regna sub antris
Instituit, petiitque piae penetralia matris:
Tergeminamque domum munimine clausit aheno,
Septa procul labyrinthearum ambage viarum.
Prima quidem teritur concursu semita denso,
Virque viro, pede pes urgetur, et omnis eodem
Turba ruit properans juvenumque senumque virumque,
Antra sonant plausu, gradientum, dura gemiscit
Et subsidit humus, repetito saucia passu.
Non tam multa solo bifidis vestigia punctis
Servat arenoso, ditis quae mille coloni
Laeta greges via balantis in pascua mittit

Sole novo, et totidem saturos in ovilia cogit,
Cum super Hesperiam lux inclinata recumbit.
At postquam in tenebras ventum est, et in aspera saxa,
Implicitasque vias: haeret mentisque speique
Orba cohors, pars magna retro indignata refertur:
Pars magnis enixa animis obdurat, iterque
Rumpit anhela, urgens contra Fatumque Deosque:
Mox defecta malis nigro tabescit in antro
Emoriens, et congestis iter obstruit arctum
Corporibus: pauci nati melioribus astris
Optatos tetigere locos, aulaque recepti,
Ad lumen stupuere novum, clausique tenebris.

Tam longe oculi vix admisere nitorem
Insolitum, ingentem, late efflagrante metallo,
Usque adeo ut multis nebula lux illa perenni
Obruerit fractos jucundi luminis orbes,
Heu frustra ignaris manibus gemmas, ebur, ostrum,
Auratumque solum dubio pede tentaturis:
Nec formosa Deae visuris ora serenae.

Ante fores opus ex auro memorabile sculptum est,
Auro opus immixtum fulvo viridique smaragdo,
Aurea dimidia fulgent extantia parte
Signa, at planities viridi exaequata smaragdo est.
Ignotae posuere manus: sedet ordine primo

Alma parens, aperitque sinum pulcherrima Tellus
Sylvisque fluviisque et floribus interpictum,
Dives opum Cereris, gemmarum dives Iacchi,
Dives et Hesperidum sylvis, passimque coruscis
Incustodita pendentibus arbore pomis.
Nec non et fulvo demonstrans vimine ramum
Infernae Junonis opes, quae Troïus heros
Dona ferena Hecatae, Manes penetravit ad imos,
Liberaque ad superos iterum vestigia vertit.
Tellurem magno circumsonat aequore Nereus,
Et centum liquidae Nereo genitore sorores.
Hae caput attollunt, hae mergunt gurgite cano,
Pars stringunt madidos adverso sole capillos,

Pars ducunt choreas, et candida brachia quassant
In numerum, candent fulvis vada caerula spumis.
Omnibus at longe vasti de finibus orbis
Turbatos maris in fluctus Aquilonibus atris
Flumina labuntur, pellucidiore metallo:
Ante alios liquido Pactolus Lydius igne
Fulminat, ignito Tagus effervescit et Hermus.
Gurgite, non raris distincti flumen arenis:
Sed puro per culta auro splendentia fusi.
Non aliter, quam cum fulvos Aethnaea per antra
Mulciber effudit rivos fornace reclusa,
Cum nova sollicito properaret tela Tonanti,
Vasta Gigantaeos disturbatura labores.
Stat juxta fulgens auro Berecynthius Heros,

Auriculis asini nondum insignitus acutis:
Qualis erat, manibus cum se tentaverat ipsum
Aurificis, donumque Dei damnasset iniquum,
Inclusus nimium proprio jam totus in auro.
Ille tamen quondam, sacro se in flumine versans,
Diluit auctoris damnosum munere lucrum.
At manus artificis tali modo sculpsit in auro
Docta Midam, nullis quod aquis mollescat, ut illic
Aeternum stolidus spectetur imagine digna.
Stat quoque nunc oculis etiam formidine plenis,
Vix bene sopitum credens recubare draconem,
Vellere Phryxaeo rutilans Pagasaeus Jason.
Tertius hic etiam, sed longe clarior, adstat

Nubila qui rapidis perfringit hiantia flammis,
Attonitas terrens animas reboante tonitru:
Longe illi modo fulmen abest, regalia longe
Sceptra jacent, vultusque dei, nec credere posses
Esse Jovem, credi ni vellent omnia vates,
Imperiumque suum nullis includere metis
Monstrosus didicisset Amor. Cadit aethere ab alto
Juppiter, indomito mentem liquefactus ab aestu:
Perque vias intentatas, auroque parentem,
Custodesque auro fallens, auroque puellam,
In gremium Danaes flavo descendit in imbre:
Et mollem dominae instillat lascivus amorem.

Haec, ubi regificis celebrat solennia ludis,
Praefigit tria signa suis Regina triumphis.
Illam autem tollentem animos, atquẽ alta tuentem,
Aulaï in medio, et sceptrum regale moventem
Circumstant variae dextra laevaque figurae:
Diversorum gens operum, mirabile visu.
Hinc furibunda quatit rigidam Bellona bipennem
Avectis dives spoliis, et Martius horror
Per fera castra fremit, captaeque fit urbis imago.
Arma, tubae, lituique sonant, et tympana rauca,
Tinnitusque fragor densus miscetur acuto.
At parte ex alia, nitido placidissima vultu

Pax sedet, aureolum spicis evincta capillum,
Palladiaque gerens felicem ex arbore ramum.
E gremio Bacchique liquor, variique coloris
Poma fluunt, Cererisque fluunt uberrima dona:
Omnia quae, postquam terram tetigere potentem,
(Admiranda cano) croceum durantur in aurum.
Fortuna ante alios magnum sibi vendicat illic
Imperium, regnique tenet communia sceptra:
Instabilemque globum gemmis ornavit, et auro:
Proximaque accubuit Dominae, quam Gratia circum,
Ventosusque Favor, fallax et Opinio vulgi,

Elatisque superciliis, vultuque tumenti
Incedens, coelumque oculis, et inania captans,
Ducit inauratam vesana Superbia pompam:
Laeta opibus, formaque, et adulatrice caterva.
Fortunam contra posita est, et lumine claro
Adspicit indignantem, et despicit aemula Virtus:
Ingenium sollers, indefessique Labores
Assistunt, celebri quos ordine mille sequuntur
Artes, humanae solatia dulcia vitae.
Proxima septa satellitio Regumque Ducumque,
Stat pia Relligio, cultus pertaesa prioris,
Barbamque, tritamque togam lacerasque lacernas

Et peram, et Cynicae gentis monimenta bacillum:
Pro quibus excultos amplexa est mitra capillos,
Mitra micans auro, pellucidulisque lapillis,
Et picturatis collo jacet infula filis
Demissa ex humeris, pectusque, et brachia, et imos
Palla premit talos auro gravis intertexto.
Heic Leges etiam sanctae, et veneranda Senatus
Decreta antiqui, (quis credere possit et illud?)
Ante pedes Dominae flexa cervice recumbunt:
Proque levi magnae nutu rectricis, in omnis
Vertunt se facies, et lusu Protea vincunt
Mirifico, ridente Dea, et tollente cachinnos
Contemptrice sacri Juris Legumque Rapina;

Effera quae laeva princeps in parte resedit,
Auratam chlamydem nigro perfusa cruore.
Heic Furta, Insidiaeque latent, Fraudesque, Dolique,
Squallida Avaritiae circum praecordia Matris.
Omnibus his nigra caput est in nube sepultum,
Scilicet ut celent vulpini dedecus oris,
Exiguos oculos, rostrique petacis acumen.
Nec procul hinc, tabulis, loculoque onerata tumenti,
Aurivoros impellit equos, curruque volucri
Praecipitata, rapit celeres Usura calendas.
Nec Libitina suos non heic quoque reppe-rit usus,
Attollitque rogos, et testamenta resignat.
At circum auratasque trabes, auratàque tecta,
Aureaque insomnes circum laquearia Curae

Stridentis agitant pennas, examine longo.
Qualiter, ut fama est, Stygiae per inania ripae
Palantes volitant animae, quas aspera fata,
Indeplorato sparsis in funere membris,
Sedibus exclusere suis, et honore sepulchri.

Nec minus interea Risus, Lususque, Jocique,
Dulcesque Illecebrae, et jactantis nuda papillas
Nuda genu, Cyprioque madens a rore Voluptas,
Porticibus currunt longis: juvenumque puellis
Mixta ruit series: et mutua gaudia jungunt.
Ipsa suis Cytherea praeest pulcherrima sacris,
Et puer arcitenens operosa ludit in aula,

Saepe choros juvenum taeda petulante lacessens,
Saepe puellarum succendens pectora flammis.
Spicula quin etiam Dominam molitus in ipsam est
Saepe proterva ferox, et in auro condidit aurum.
Hac tamen in sola fertur damnasse caducos
Saepe Puer plorans arcus, obtusaque fregit
Tela genu, illisitque solo, pedibusque tenellis
Calcavit, frustraque Venus solata dolentem est.
Nam proprio, mirum, Regina indulget amori:
Ac facies Juvenum pictas exosa, seniles
Diligit amplexus, et frigida basia captat

Vinctorum podagra lapidosum corpus, et aevi
Emensi longis ambagibus incurvorem:
Fessa quibus prono subnitens vita bacillo,
Ultima declivis tetigit confinia metae:
Pulsa procul thalamis moeret formosa juventus,
Purpureas signata genas lanugine prima.
Non illos madidi myrrha redolente capilli,
Lucida non tereti distincta monilia collo,
Ebria non Tyrio commendat muricé palla,
Tinnulaque arguto resonantia pollice fila
Phoebaeae citharae, cantusque, et docta choreïs
Tibia saltandis, et melle fluentia verba.
Si tamen est horum quemquam dignata cubili
Diva suo, felicem illum super omnia, felix
Si tamen esse cupit, naturaque mitis in illo est:

Illi Diva potens secreta e sede revulsum
Ignotum donatque argenti pondus et auri,
Exemtâm curis, purum, et sine labe metallum.
Quod recreet moestos animos, et turbida mentis
Nubila discutiat, et proclinata juventae
Tempora florentis longos extendat in annos:
Unde Favor surgatque hominum, surgatque Deorum,
Et laeti Juvenis felicia facta sequatur
Gratia multa comes, cumque altis Fama Triumphis.
At vero, numero ex omni, quem maxima servant
Atria, conspicitur vates vix unus, et alter:
Atque illi longe prius abjecere poetae
Squallentem vafri faciem, crinisque Tiarae
Laurigeros, vel Puniceo texere galero:

Mentitaque Deam taciti sub imagine fallunt.
O vatum gens infelix frustraque profani
Contemtrix populi, frustra nutrita sub antris
Pieriis, frustra choreïs admissa Dearum,
Lucorum roseïs in vallibus antiquorum,
Si vobis infesta manet Dea maxima, cujus
Concussus sceptro terrae tremit orbis et omnis
Regia turbatae mugit procul Amphitrites.
Ipse ego, roriferae per blanda silentia noctis,
Ductus in illustrem longis anfractibus aulam,
Aut vidi, aut vidisse Deam per somnia rebar.
Mox avidis tentabam oculis in imagine blanda

Haerere, et, si somnus erat, vaga numina somni
Orabam, volucris alio ne verteret alas:
Neve quis, optabam, me compellaret amicus
Sopitum, strepituve pedum turbaret iniquo.
Omnia conabar frustra: vix viderat illic,
Et tactum ramo jussit discedere vatem
Regina, imperioque minas adjecit et iram.
Nec mora, cum Domina, cum cunctis regia gemmis,
Cumque satellitio, cum pondere divitis auri,
Par levibus fumis, tenuis evasit in auras,
Noctisque ante oculos facies inamoena remansit.

EXPOSTULATIO

CUM

N E P T U N O

IN DILUVIO

QUOD IN PATRIA CONTIGIT

ANNO MDXXX.

Salsipotens magni frater Neptune Topantis,
Undivagos late campos, et livida regna
Qui data sorte tenes, vitrea dominator in aula,
Quid tantum Pater alme paras? an secula Pyrrhae, et
Deucalionaeas iterum exspectabimus undas?

Et quaerendus erit vacuae novus incola terrae?
Proh scelus, obruitur tumido Zelandia ponto,
Amplaque fertilibus spoliatur Flandria terris,
Hollandosque premunt nihilo leviora colonos.
Aggeribus spes nulla manet, prosternitur undis
Dives opum tellus malefidis credita glebis,
Tecta, domus, et mixta suis armenta colonis,
Cumque pecus pastore fluit, cum pignore mater.
Atque aliquis, quem sors fugientem exemit aquae vi
Servatum truculenta fami, vel ab arbore celsa,
Monte vel aërio spectat seu conjugis ora

Pallida, seu natos, seu si quid carius illis,
Sub pedibus fluitare suis, moriturque videndo.
Jamque stat aequa mari tellus discrimine nullo,
Apparentque vago turres in gurgite passim,
Quas velut ignotas formidat navita cautis
Quasque colunt pisces, Veneris procul alite pulsa:
Et quae quadrupedemque equitem, celeremque per aevum
Sunt loca passa rotam fluitantibus invia nautis,
Ferre ratem discunt, et vela patentia ventis:
Quaque stetit crescens nuper felicibus arvis,
Ardua nunc illac loca per natalia quercus
It, volucrique secat, non sic sibi cognita, cursu.

Sicne pater Neptune, decet? sicne ira Deorum
Sollicitat quoque saeva animos? quae causa furoris?
Fare, quid innocuam potuisti mergere gentem?
Anne tuos toties mortalis visere fines
Non pateris? spolioque maris ditescere vasti?
Inque tibi cessum fatali sorte tridentem
Pridem terrestris jus usurpare tyrannos?
At poteras pelago merita nece perdere nantis,
Mortalisque semel regno prohibere liquenti.
Quid miseri meruere viri qui vomere terras
Exercent patrias, infames crimine nullo?
Imperio ut, violente, tuo furibundus aquai
Impetus incautos vita spoliaret et agris?
Aut spoliaret agris, vitamque relinqueret aegram

Per lachrymas et per suspiria traducendam?
Quos mihi nunc videor nequidquam multa querentis
Cernere, et, heu, surdo jactantis talia ponto:
O, nimium felicem illum, quicunque colonus
Cum pecore, atque casa, durique laboribus aevi
Piscibus esca natat, liquido bene funere mersus:
Longa nec annosae timet infortunia vitae.
Nos patriis exuti opibus, rerum omnium egeni,
Ignota exilia, et longinquas quaerere sedis,
Vesanamque famem cogemur ferre, sed anne
Omnibus ereptis, dirae violentia sortis

Eripuit quoque posse mori? moriamur: et ultro
Praecipites animas pelago jactemus avaro.
O, varios hominum casus! o, coeca futuri
Pectora! quos modo florentis, opibusque superbos
Viderat exoriens, prostratos vidit Apollo
Oceano tincturus equos. Nunc ite, secundis
Fidite mortales rebus, sortique rotanti.
Non potuit quisquam de tot, quos munere pavit
Vasta suo Tellus, nunquam prece, thure, vel auro
Sic sibi devinctos animos habuisse Deorum,
Ut sibi venturam promittere quiverit horam.

Bruma revertens.
Quum Zephyri flant,
Quumque sereno
Turbida movit
Nubila coelo
Clarus Apollo:
Jam Boreas, jam
Jamque protervus
Auster, Orionque
Imminet nobis.
Perpetuum nil.
Cuncta recurrunt
Ordine certo.
Gaudia luctus
Occupat amens:
Seque superbis
Funera miscent
Saeva triumphis.

ECHO.

COLLOQUUNTUR *VIATOR* ET *ECHO.*

O, quae Diva cavos colis recessus,
Sylvarumque regis domos opacas,
Tu quae de reliquis Deabus una
Quas frondesque juvant, juvantque fontes,
Audiris toties, videre nunquam:
Dic, quae finis erit meo calori,
Imas qui mihi devorat medullas?
Ut formosa, tuas voravit olim
Superbo e Pueri decentis ore
In flatum resoluta quum jaceres
Languens umbra, superstitemque sola
Vitam voce brevis teneret aura.
Dic: nam forte libet meas querelas

Audire, et veteres novare curas
Dic, oro, potent quid impotenti
Seros ponere limites amori?
Echo. Mori. *Viator.* Di meliora, sicne nobis
Ad canos igitur dies manebunt,
Et canos quoque non dies relinquent
Singultus, lacrymae, gravesque voces?
Aut mox abjicienda prima vita est?
Echo. Ita est. *Viator.* At licet ire perque gentis,
Perque undas, ubi nulla me sequatur
Sublati ex oculis Amoris ala.
Non illic dominae procul relictae
Mentem sidereae faces perurent.
Echo. Urent. *Viator.* Non roseum os, genaeque tangent.
Echo. Angent. *Viator.* Sed dolor hic levis brevisque,

Fomento citò destitutus omni
Sese conficiet, negante vel te.
Echo. Ante vel te. *Viator.* Adeone amarum amare est?
Echo. Mare est. *Viator.* Heu mihi, quidquid est malorum
Admittit medicas amatque curas,
Nulla solus amor levatur arte,
Non cantu perit, aut perit venenis,
Spernit consilium fidele, spernit
Quidquid mens bene suada prodit. *Echo.* Odit.
Viator. O, ne, ne mihi talium dolorum
Sensus ter misero supersit ullus,
Quam mallem media stupere sylva,
Durae cortice membra tectus orni,
Qua Caurus mihi, qua protervus Auster
Nequidquam, Boreasque spiritosus
Hinc illinc quatiantque vellicentque

Amoto querulas dolore frondis:
Aut tecum in liquidas abire voces:
Per sylvasque volare, perque vallis.
Saltem laeta sonare tunc subinde
Possem, quum facili fruens amore
Felices caneret viator ignis:
Nec semper grave diceremus, heu! *Echo.*
Heu!

ORPHEUS.

ECLOGA.

Orphea Threïcium Lycidas, patrem Orphea vatum,
Amissa viduum bis conjuge, sola per antra

Moerentem, vocesque trahentem pectore ab imo
Feralis, et fracta gravi nemora avia questu
Infelix cecinit desertis pastor ab antris,
Formosi pecoris lanaeque oblitus et herbae
Surgentis vario per mollia prata colore,
Et canis, et mulctrae, sed non oblitus amorum,
Quos illi, placidis assueto semper in agris
Nympharum cupidis amplexibus indulgere,
Moverat, heu, glaucisque oculis flavoque capillo,
Astuque fastuque valens urbana Neaera,
Intactam Veneris praecellens alba columbam
Et canum Veneris florem, gelidaeque Pyrenes
Vicinas candore nivis et frigore vincens,

Et canis Pueri et magno male digna furore.

Illum deserti montes et frigida saxa,
Montibus et qui desertis gelidisque feroces
In saxis stabulant ursi gemuere gementem,
Getulaeque procul suspiravere leaenae,
Notaque nutarunt intonsae ad carmina quercus,
Annosae quercus, et luctiferae cupressi
Lugentem circumstabant: ast optima mater
Ad tristis excita modos stupuitque sonantem
Calliope, dixitque: meis num forsitan istis
Natus inest sylvis? et bis remeare sub auras
Evaluit? Ditemque novo modulamine vicit?
Tergeminique canis compescuit ora canendo
En iterum? Nec plura, ruens petit oscula falsi
Infelix nati: mox spe dejecta, suave

Erubuit: tamen et vere se junxit, et una
Divinam citharam digitis tentavit eburnis,
Moestaque suffecit lachrymas, et verba canenti.

Ergo, quum fugeres juvenem, castissima conjunx,
Vesanum virusque invito afflaret ab ore
Tabificus serpens, non sufficiebat ad Orcum
Ire semel? vitamque tuis exsolvere fatis
Innocuam? aut lachrymas impendi in funere parcas
Chara tuo? nisi te, nisi te charissima conjunx,
Ipse retorquerem sub iniqui jura tyranni?
Lethiferis demens oculis luctumque pararem
Ipse alium sine fine mihi? me mitior anguis
Ille fuit, diri tantum malus ultor amoris

Ereptam celeri te reddidit ille marito:
Ipse ego te mihi te rapui, tu flebilis inter
Excidis amplexus: damnosaque lumina longe
Rapta fugis: quo dulcis abis? jam te negat ipse
Portitor illachrymans iterum transmittere cymba.
Rex Erebi dolet ipse, dolet regina profundi
Commiserans, legesque infracti Conjugis odit:
Quaeque meo primum concussae pectora cantu
Ardentis oculos tenui sparsere liquore
Eumenidum, guttis majoribus ora gravantur.
Tu vero neque me damnas, neque fata remordent
Te tua, nec velles nisi sic adspecta reverti:
Tota sed in curas viduati conjugis aeris

Intendis luctus: me me in suspiria, me me
In lachrymas decet ire, animamque efflare nocentem:
Te nemus Elysium foveat, tibi mollior aura
Consumat lachrymas: te nullo vulnere tardam
Ad choreas Nymphae vocitent, ducantque vagantem
Securo per prata pede, qua nullus in herba
Anguis odorata liventi sibilat ore.
Nos vitam in tenebris aegram luctuque trahamus,
Qua non ulla pedes humanos semita ducat.
Ad glacialem Hebrum, deserti in rupibus Haemi,
Mecum undae, mecum antra gemant: mea plectra sequutae
Ornique piceaeque fleant, et largius aureas
Infami lachrymas diffundat ab arbore Myrrha.

Phoebe pater, si non falsos mihi narrat amores
Calliope, sume hanc citharam, mihi tensa remissae
Deficiunt ad fila manus: tu pollice luctum
Elice de fidibus, qualem Peneïa Daphne
Cortice tecta novo, trunco exaudivit ab imo
Damnavitque suos nutanti vertice fastus:
Qualem, labenti superingeminans Cyparisso,
Pro Puero ramis lugubribus inclinatus,
Oscula fixisti ligno suprema dolenti;
Qualem effundebas funesti in crimina Disci,
Optima quum tellus, generoso foeta cruore,
Ad tua purpureum submisit basia florem,
Dilectum florem, pro dilecto Hyacintho.
Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,
Cur me tentantem Stygiae vada vasta paludis

Non niger absorpsit violento vortice fluctus?
Cur me tam mites spectastis Erinnyes? et tu
Formidatarum custos ignave viarum,
Deposita triplicis jejuna gutturis ira,
Ad mea ludebas blanda vestigia cauda?
Vestrum erat hoc raptare caput, membrisque revulsis
Per Phlegethonteas audacem spargere flammas
Artificem: eluctatus in aëra spiritus isset,
Cumque umbra tenuis se confudisset amata
Eurydice, tutoque suos vidisset amores.
Heu, quis me citharae tam blandum fila movere,
Quis Deus edocuit tam molli carmine Ditem
Demulcere trucem? serpenticomasque Sorores

Ad lachrymas urgere novas? tunc stridere rancum
Debebant domino non agnoscenda canoro
Stamina, et in medio vox intercepta palato
Succidere: heu, gravis arte mea mihi luctus inundat.

Mitis eras igitur Pluto, ut crudelior esses?
Fallacemque meo velares crimine culpam?
At non te, Siculo nuper de littore curru
Praepete quum fugeres, in dulcem vertere praedam
Sollicitos oculos vetuisset conscia mater.
Heu, duras Fati leges! semperque caducas
Spes hominum pugnante Deo! qui corda ferarum,
Qui domui silices, proprios compescere motus

Non valui, occultumque Deae, Cythereïdos ignem.
Ergo pro cara suspiria anhela marita,
Pallorem exsanguem, maciem, horroremque trementem,
Et furias comites inferna ab sede reduxi?
Nec potui curas Lethen sopire bibendo?
Abde coloratos auro, Pater, abde jugalis
Fluctibus Herculeïs, melius nox apta dolori est.
Redde coloratos telluri, redde jugalis,
Ecce mihi lachrymae noctem fecere, dolorque,
Turgidaque imbre diem praetexunt lumina denso.
Sic tenerum in sylvis moeret Philomela Nepotem,
Sic Soror in tectis natum deplorat hirundo:

Sic gemit arenti viduatus ab arbore turtur,
Sic nondum lachrymis satiata Memnonis umbra
Lutea perpetuo stillat Tithonia rore.
Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,
Me tecum, me debueras auferre sub umbras
Praecipitem: vitam nobis mors illa dedisset:
Ipsa Venus junctos vallem duxisset in illam,
Qua ver perpetuis foecundat odoribus arva.
Ipse puer Veneris, flammatam lampada quassans,
Discussisset Amor nebulas Acherontis opaci.
Nunc noctem simul invisa cum luce dedisti
Invide dux Erebi: moriar tamen, en mihi laxis
Genua labant nervis: exsanguis serpit in artus

Pallor: et haud multum, memini, distamus ab umbris,
Moesta per ignavam quas volvit cymba paludem,
Squallida pejoris nantis confinia ripae.
Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,
Bis moriens tecum Eurydice bis per Styga traxit
Hanc animam tecumque manet pars maxima nostri:
Corpus inane traho tenui vix mobile vento:
Qualem Thessalicis immisto carmine succis
Inspirant animam per frigida membra caducam
Monstrifici vates: aut qualia luce carentum
Instabili simulacra virum discurrere motu,
Et tenuis miscere sonos et inania vocum
Murmura, solliciti per somnia vana videmus.

Eurydice, miseri Eurydice misera uxor amantis,
Eurydice, quo me fletu tua fata piare,
Quove jubes gemitu? quid me tolerare cruentum?
Adspice cum scisso laniatas pectore vestis,
Adspice cum tepido lachrymas certare cruore.
En tibi, damnamus tenebris haec lumina caecis,
Aeternumque patris jubar interdicimus illis,
Purpureum jubar, et sub nocte natantia nigra
Cogimus admissi lenta intorpescere poena.
En tibi quod nimio furiatum pectus amore
Intempestivo rupit mea gaudia voto,
Foemineo nunquam posthac ardore calebit.
Nulla tuum pellex premet importuna cubile
Eurydice, nec primaevos avertet amores

Mollibus illecebris Ciconum nurus ulla meorum.

Plura quidem dicturus erat: vicina canenti
Calliope vetuit, Lycidamque amplexa repressit.

DIALOGUS LUCIANICUS
DORIDIS ET *GALATEAE:*
LATINO CARMINE REDDITUS.

Forte Deae pelagi, ludentes littore curvo,
Captabant radios, aurea Phoebe, tuos:
Heic Thetis, heic Melite, Spio, Panopeaque virgo,
Cymodoce, Doris, et Galatea fuit:

Quum Doris ficto Galateam molliter ore
Risit, et arguto strinxit amara joco.

DORIS.

Scilicet, egregie tandem formosus amator
Contigit, o, felix jam Galatea, tibi!
Nimirum hic Siculus pastor, proh Numina! qualis
Deperit, ut passim fertur, amore tui!

GALATEA.

Ne ride: qualis qualis tibi Dori videtur,
Neptuno tamen est de genitore satus:
Neptuno vitreis late qui praesidet undis,
Neptuno, a summo qui Jove prima tenet.

DORIS.

Egregium vero, quod sit Neptunia proles.
Esto, sit altifremi filius ille Jovis,
Quum tam deformis, sit, agrestis, et hispidus, et quod
Omnibus est unum turpius, unoculus.

An vero genus ad formam prodesse putabas?
Hoc tibi deformis nomine pulcher erit?

GALATEA.

Imo nec est deformis, et id quod dicis obesse,
Hoc queat hoc formam nobilitare viri.
Quippe quod agrestis, quod et hispidus (haec tua nam sunt
Crimina, sic libitum est haec vocitare tibi,)
Haud deformat eum, verum mage Dori virile est,
Crede decet fortis hispida barba viros.
Porro oculus media nitidus qui fronte relucet,
Et quem Phoebeae lampadis instar habet,

Ille etiam decet hunc, hoc aemit certius uno,
Quam si vel duo, vel lumina mille forent.

DORIS.

Tu vero mihi jam, Galatea, videris habere hunc
Non tibi amatorem, verum adamare magis:
Usque adeo laudas, et quae contraria formae
Jam formosa uti sint, atque decora, jubes.

GALATEA.

Haud equidem hunc adamo: tamen ista insignia vestra
Scommata et insulsos haud queo ferre sales.

Et plane invidia huc mera vos stimulare videtur
Quod vos non itidem ut me Polyphemus amat:
Quodque gregem nuper celsa dum pascit in Aetna
Inter lanigeras conspiciendus ovis,
Nosque procul, mixtim per littora picta vagantis
Cernit, ubi pedibus prominet Aetna suis,
Vestrûm non ullam vel solum aspexit: at ipsa
Visa viro cunctis pulchrior una fui.
Meque proinde suo dignatus lumine solam est,
Lumine sidereas exsuperante faces.
Haec ea sunt, haec sunt, quae pectora vestra remordent:
Hinc illi risus, illepidique joci:

Namque haec cuncta docent me vos praecellere forma,
Meque magis dignam, quam Polyphemus amet.

DORIS.

Scilicet, invideam quod tu formosa videris
Lusco? et pastori quod Galatea places?
Quanquam aliud, quaeso, potuit quidnam ille probare
Praeter candorem, lactea Diva, tuum?
Ille placet, quod lac cibus est et caseus illi:
Quod simile his, pulchrum protinus iste putat.
Tu vero cupis ipsa tuam si noscere formam,
Nec tibi judicio stulta placere malo,
Pendenti e scopulo, si quando silentibus Austris
Pellucens placidis unda jacebit aquis,

Temet contemplare, precor; dabit unda colorem
Consimilem lacti, consimilemque nivi.
Atqui nulla quidem facies candore probatur,
Candida purpureis sit nisi tincta notis.

GALATEA.

Atqui ego nacta tamen, quantumvis candida, qualem
Doris amatorem vellet habere sibi.
Nullaque de vobis quam vel miretur agasbo est,
Vel pastor, vel quam portitor ullus amet.
Atque alia ut taceam, cantat Polyphemus: in omni
Et calami, et citharae, doctus et arte lyrae.

DORIS.

Mitte haec, Diva, precor, cantantem audivimus, in te
Pruriret nuper quum male sanus amans.

Verum, o, sancta Venus, rursum in certamine Phoebum
Excire obstreperus Marsya visus erat.
Quin ter credideram sylvis audire rudentem
Vicinis asinum, ter Polyphemus erat.
Ipsiusque lyrae corpus jurare volebam
Cervinum, nudis ossibus, esse caput.
Cornua nam exstabant cubiti de more recurvi:
Quis putet heic hominem? quis putet esse lyram?
Tum vero, inductis fidibus, speciosus amator,
Nec jungens sinui barbara monstra lyrae,
Nescio quid tandem durum et stridebat agreste,
Observant partis dum lyra voxque suas:
Sic uti non fuerit de cunctis ulla Deabus,
Quae posset risus aut cohibere jocos.

Quid, quod et ipsa quidem non est dignata boanti
Respondere Echo, garrula nympha licet:
Credo, Deam puduit, si forte audita fuisset,
Reddere stridentis ridiculosque sonos.
Quin ulnis ursae catulum formosus amator
Gestabat, lusus, deliciasque suas.
Hirtus erat totus, quo, credo, gratior illi,
Quod similis setis et feritate fuit.
Quae tibi non istum talem, Galatea, maritum?
Invideat? quaeve hunc non velit esse suum.

GALATEA.

Ergo tuum nobis sit qui formosior, eia,
Monstra, et qui melius voce lyraque canat.

DORIS.

Nullum habeo, fateor, nec eo me nomine jacto,
Ac si sim multis sollicitata viris.
At vero talem, qualis Polyphemus, amantem,
Totus qui saniem, totus ut hircus, olet,
Quique infelices funesta ad littora pulsos
Devorat, hunc habeas, hunc adamesque tibi.

Talia sunt, Nymphas retulit quae fama marinas
Multa per alternas dicta dedisse vicis.
Quid jam, quid coecum non posse putemus Amorem?
Te quoque formosum si Polyphema facit?

DIALOGUS

POLYPHEMI ET *NEPTUNI*,

PARTIM EX HOMERO, PARTIM EX LUCIANO

DESUMPTUS.

Orbatus caro Polyphemus lumine quondam
Dum cuncta in tenebras sentit abisse nigras,
Littus, ovis, sese, montem, mare, denique flammas,
Ipsaque luciflui plaustra corusca Dei,
Flebilis obscura titubans errabat in Aetna,
Incusans homines, sidera, Fata, Deos.
Annosam tandem pinum tellure revellit,
Ad mare vicinum qua duce tentat iter.

Jamque propinquat, et id madido pede denique sentit,
Mox oculum liquidis sanguine purgat aquis.
Murmura Neptunus quum forte in fluctibus imis
Audiit, et moto protulit amne caput.
At vero Natum extincto dum lumine cernit,
Exclamans Genitor littora dira petit.
Protinus agnoscens Polyphemus voce parentem,
Sic sua cum gemitu tristia fata refert:

POLYPHEMUS.

O, mihi nequidquam Pater, o, mihi saepe vocate,
Hospite ab infando quae modo damna tuli?

Qui mihi fallacis propinans munera Bacchi,
Praeripuit sensus: praeripuitque pedes:
Donec in obscuris posita cervice cavernis
Prostratus, somno languida membra dedi.
Hic me crudelis vina inter iniqua sepultum
Furtim adit, atque oculum, heu, vecte mihi terebrat.

NEPTUNUS.

Quis vero, talis potuit qui sumere poenas,
Quisve ausus tantum est, heu, Polyphemo nefas?

POLYPHEMUS.

Esse sibi nomen, Nemo, mihi dicere primum:
Ast ubi coeruleas nave secabat aquas,
Jamque procul nostris fertur securus ab oris,
Et nullos arcus, spicula nulla timet:

Tum demum insultans ter se jactavit Ulys-
sem.
Et dedit haec nostris ultima dicta malis:
Siccine debueras socios, o perfide Cyclops!
Dentibus imbellis dilacerasse viri?
Si neque nos, neque mortalis scelerate timebas:
Debebas superos at metuisse Deos,
Debebas metuisse Jovem, qui cuncta videbat,
Praesens hospitibus qui favet usque suis.
Ergo tibi fluidi putresceet luminis orbis,
Et fiet corvis forsitan esca nigris.
Sic meruit lusisse Jovem Neptunie, nunc i,
Crede tuum quidquam prae Jove posse patrem.
Talia dum jactat magno temerarius ausu,
Improperatque eadem non semel ille mihi,

Ira subit mentem, partemque exanimis alti
Avello, extremis ultima tela malis:
Et quum te genitor supplex in vota vocasset,
Ut regeres ventis pondera missa tuis,
Ad sonitum vocis corpusque et brachia torquens,
Mandavi rapidis saxea tela Notis:
Arrectusque diu stabam, post tempora longum
Quum dedit ingentem gleba relapsa sonum,
Et quantum audire, trepidorum voce licebat,
Navem sub tumidos pondus agebat aquas.

NEPTUNUS.

Jam scio: quem dicas: nimium Ithacensibus ille est,
Qui modo ab Iliaca navigat urbe domum.

Sed quinam potuit, quinam hoc est ausus Ulysses?
Jampridem timidum quem mihi fama refert?

POLYPHEMUS.

Jam saturis ovibus, viridantia prata relinquens,
Ducebam niveum post mea terga gregem,
More meoque ibam nota, eheu, pronus in antra,
Conscia tam miseri non prius antra mali:
Quum subito apparet multorum turba virorum,
Quid? nisi divitiis insidiata meis?
Heic ego mox aditum, ne quisquam evadere posset,
Claudebam, tacita gaudia mente fovens:

Namque mihi talis olim servatur in usus
Maxima, non ullis petra movenda viris.
Inde ornum flammis duram crepitantibus uro,
Aetna revertenti quam mihi forte dabat.
Tum vero metuens, tentati et conscia furti
Visa sibi est latebras quaerere turba nocens.
Corripui quosdam: nam quid ni? nempe latrones,
Et data sunt stomacho corpora pauca meo:
Quique sibi nostras praedam Neptune futuras
Crediderant pecudes, praeda fuere mihi.
Protinus hic, seu Nemo fuit, seu dirus Ulysses,
Coepit versutos mente agitare dolos:

Et mihi, nigrantis falsa sub imagine vini
Nescio quae misero pharmaca mixta dedit:
Pharmaca grata quidem, fragrantia, dulcia: verum
O pater, insidiis pharmaca plena malis.
Vix summo tetigi labro, et jam cuncta rotabant,
Imaque pars antri visa suprema fuit.
Quid multis? solita spoliatum mente jacebat
Corpus, et exanimis jam mihi visus eram:
Quum volucer Stygiis allapsus somnus ab undis
Percussit ramo tempus utrumque suo.
Non procul a mulctra viridis mihi forte jacebat
Nuper in exitium clava resecta meum.

Hanc illi incidunt, minima sibi parte retenta,
Atque acuunt magna sedulitate simul:
Mox etiam vectem flammae involvere relictae,
Et penitus nobis ignea tela parant.
Sic illi iguitum multo molimine fustem
Intorquent oculo terque quaterque meo:
Donec inaudito ligni stridore praeusti
Excitus, manibus tela revello meis.
Sic tibi, care Parens, nimirum tempore ab illo
Lumine privatum jam Polyphemon habes.

NEPTUNUS.

O, quam Lethaeus penitus tua pectora somnus
Presserat? ut, talis dum struit ille dolos,

Dum vectem magno molimine circumvolvit,
Dumque in summo oculi cortice totus erat,
Non vel tum somno fueris turbatus ab alto?
Jam tulerat coeptis praemia digna suis.
Quanquam non video quo pacto evaserit antrum
Impius, et dentis, mi Polypheme, tuos.
Haud etenim immanem pelvam ille removit, opinor,
Quam memini viris exsuperare meas.

POLYPHEMUS.

Ipse ego, seu demens, seu sic mea fata volebant,
Amovi iratis pondera vasta Diis.
Sic ratus, ut, nostris cupiens exire cavernis,
Incideret digitis obvia praeda meis.

Ergo, foris juxta, manibus venabar apertis,
Sed non auspiciis, Delia magna, tuis.
Interea pecudes nullo pastore vagantis
Carpere per vallis pabula grata sino:
Sic, heu, sic dicens, aries, mea prima voluptas,
Tu subeas Domini munia nota tui.

NEPTUNUS.

Mirum ni pecoris latitans sub vellere denso
Illusit coeco turba dolosa viro.
At tu debueras fidos vocitasse sodalis,
Quos alios centum littora curva tenent.

POLYPHEMUS.

Id feci, et notis subito clamoribus acta
Venit in auxilium turba parata meum.
At postquam insidias quisnam struxisset iniquas,
Et cuperent tanti nomina nosse viri,

Atque ego dixissem: Nemo mihi talia strixit,
Nemo fuit, Nemo qui mala tanta dedit:
Correptum insolito miserum rata turba furore,
Illusit nostris insuper ipsa malis;
Atque abiit, fratremque suum male liquit inultum:
Nomine sic lusit me, Pater, ille suo.
Et, male prae cunctis quod adhuc praecordia mordet,
Ut tenuit medias jam sceleratus aquas,
Multa mihi improperans, illud post cætera dixit:
Non te sanabit vel Pater ipse tuus.

NEPTUNUS.

Forti animo fac Nate feras: ego lumen ademptum
Quamvis non possum restituisse tibi,

Vel servare tamen pelago vel perdere nantis,
Arbitrium faxo me penes esse sciat.

Sic questum quondam Natum festiva vetustas
Tradidit, et contra sic retulisse Patrem.
Qui talis, qui tantus erat qui mersit in alvum
Efferus omnigenûm millia multa hominum.
Qui Natus Neptune tuus, qui denique centum
Fratribus indomitis saevior unus erat,
Non potuit superare dolos unius Ulyssis:
Non potuit viris vincere, Bacche, tuas.

EX ANACREONTE.

Non est cura Gygis mihi, qui rex imperat agris
Sardiniis, non me argentum, non gemma, nec aurum
Detentat: non invideo sua regna Tyrannis.
Cura est, unguento fluat ut mihi barba fragranti,
Cura, ut odoriferis cingam mea tempora sertis,
Curae sunt dubiae tantum praesentia vitae
Tempora, curae hodierna mihi: quis crastina namque
Novit, quisve sibi promittere crastina possit?
Heus ergo, heus agedum, calicem mihi cudito jam nunc
Argento bene tornato Vulcane: sed amplum

Atque natum, et Bacchi quantum potes, ebria, capacem:
Inque hoc non currus, non tristia sidera sculpe,
Non hunc crudelis, non ambiat udus Orion:
Sed vitis mihi fac viridis, ipsumque Lyaeum,
Et Charites, blandam et Venerem, Venerisque Puellum.

IN NERONEM.

Tarpeia ferus arce Nero subsidere vidit
Urbis opes magnae, populantibus omnia flammis.
Clamantum dolor unus erat, juvenumque senumque:

Solus at hic, nullo rerum discrimine moestus,
Aures atque oculos ululatu pavit et igni.

AD
LUCIUM ANGELUM ANDREAM
RESENDIUM,
MONACHUM ET POETAM.

Rebus in adversis animosus frange superbae
Jura Deae, dominamque rotam, quae singula versat,
Stare loco impatiens: spera bene, forsitan astro
Adveniet grata hora suo, nec lenta morabitur,

Quum te cornuta cinctum sacra tempora
mitra
Sublimem, sortis meminisse juvabit acerbae.

IN LAUDEM
ANDREAE ALCIATI,
QUUM URBEM BITTURICENSEM PROCUL ADVENIENS PRIMUM ADSPICERET.

Bitturigum turres et moenia sacra Camenis
Salvete ex alio nobis procul orbe petita.
Magnus ubi Alciatus, tanto post tempore, primus
Musarum fidibus artis decreta severae
Aptat, et antiquo revocatur vita Soloni.

AD MARCUM ANTONIUM CAIMUM.

Macte novis animis, sic itur ad ardua coeli,
Digne domo nec frustra adytis admisse repostis
Alciati magni: tu nunc eris altera fama
Gymnasii, quod nomen habet seu qua levat undis
Sol currum, seu qua tingit fumantia lora.
Ergo tuis insiste viis, Caime diserte,
Exemplumque novum tanti tueare magistri,
Romanas leges Romano qui ore recepit
Oblitas jam paene (nefas) sermonis aviti:
Primus et externa longe de gente reduxit
Exilium patriae perpessas mille per annos
Barbaria in foeda, et natalibus intulit arvis
Antiqui Latii, dominaque locavit in urbe.

AD JANUM.

Jane biceps anni tacitè labentis imago,
Postquam omnem Caesar sub jura redegerit orbem
Claude tui portas templi, Pax aurea mundo
Surgat, et auspiciis paribus cum Caesare regnet.

AMOREM ESSE IMMEDICABILEM.

Quum gemina sanetur ope quodcunque malorum est,
Solus Amor carmenque sacrum contemnit et herbas.

QUID
GEMITUS MURMURVE SYLVARUM
VENTIS EXCUSSUM SIGNIFICET.

Quid concussa sonant tremulis arbusta susurris?
Quod spatium pictae tam breve frondis habent.

Aspirant Zephyri murmur lachrymabile sylvis,
Ut plorent viridis tempora fluxa comae.

Quid lachrymosa gemit concussis frondibus arbor?
Tempora frondosi pauca capillitii.

Conqueritur patulae periturum frondis honorem
Garrula collisis sylva cacuminibus.

Triste susurrantes arguto murmure sylvae
Arsuras celeri sole queruntur opes.

Arguto madidae turbantur flamine sylvae,
Tam cito casuras dum lachrymantur opes.

Ut cito lapsuras frondis nemora alta querantur,
Dant moesta argutis murmura de foliis.

Tam cito se picti spoliandam veris honore
Sylva gemit, querulo flamine mota comam.

Tempora fluxa sui suspirat sylva viroris,
Mota susurranti flebilis a Zephyro.

Tam cito languentis queritur flavescere frondis
Sylva gemescentis turbine mota comas.

Imbre madens, ventoque sonans, sub sidere tristi
Sylva gemit, raptas et lachrymatur opes

IN ORTUM DIEI.

Jam tenebrae Hesperias nigrae condantur in oras,
Flavet ab Eoa parte revecta dies.

Cogitur Hesperias coeli nox omnis in oras,
Surgit ab Eoo limine flava dies.

Clara dies aderat, fugiunt tenebraeque soporque.
Et pavor, et dubio somnia vana gradu.

RECENTIORUM POETARUM

SELECTA CARMINA

EDIDIT

CAROLUS POPPO FROEBEL,

DOCT. PHILOS. ET TYPOGRAPHUS.

VOLUMEN IV.

HEL. EOBANI HESSI VENUS TRIUMPHANS.
GE. BUCHANANI VARIA.

RUDOLPHOPOLI
1823.

HEL. EOBANI HESSI

VENUS TRIUMPHANS

DE QUA

JOA. CAMERARIUS

QUESTUS

AB EOBANO

AD THALAMUM DUCITUR

ET IN

HISPANIAM ABIENS

CARMINE CELEBRATUR.

LECTORIBUS.

Hel. Eobanum Hessum *cum* Joa. Camerario *splendorem literarum inter nostratas summopere auxisse quis est qui ignoret?* Quorum uterque, *quanam in doctrina praeferendus, dubites. Neque vero illis ingenii et doctrinae praemia defuere: quin utrumque Carolus V. Caesar, utpote harum rerum, haud vulgaris aestumator, maximi fecit suisque muneribus auxit.*

Verum tamen utriusque scripta inter rarissimos libros principem facile obtineant locum; ista potissimum, quorum jactura pro plagularum paucitate proclivior fuerat.

Confido igitur elegantibus hominibus me non plane displiciturum, de tantorum virorum ingenio specimina quaedam offerendo. Jocus est mollis, et quae ipsos amicos decet, lenis cavillatio, sermo perpolitus, ne hinc inde politiorem justo dicas; omnino ingenii felicissimi radios uterque late dispergit.

Tantorum virorum opera, et jocularia quidem illa, ne oblivioni tradantur, quemque literatum hominem, cui iis frui contigit, curare an deceat, doctorum judicio permitto. Meo quidem consilio aptissima visa sunt illa poëmatia, reputanti, hisce et horum similibus obviam iri arrogantiae cuidam exterorum, ex quibus haud paucos non puduit profiteri, temporibus illis nostrates barbarie obvolutos jacuisse.

Confirmato igitur animo cordatis lectoribus hosce Eobani *et* Camerarii

lepidissimos eosdem et castissimos offero lusus. Quos si dignos judicaveritis, lectores, quibus otii particulam indulgeatis, quod volui, consequutus fuero, intentiorque factus studio vos oblectandi. Scr. Rudolphopoli V. cal. Jul. 1822.

HEL. EOBANI HESSI

VENUS TRIUMPHANS

AD

JOACH. CAMERARIUM.

LECTORI.

Si nova delectant, haec sunt nova, seria quaeris?
I alio, nobis Musa jocosa placet.
Et quoniam castae surdent hoc tempore Musae,
Quaerimus an possit gratior esse Venus.

Quae vis indomito vel quis furor adsit amori,
Vix aliqua ratione queas, Joachime, pacisci,
Ut vere expedias, et si tibi pulchra sorores
Inspirant arcana Deae, cui favit Apollo
Ingenium laetum et rebus melioribus aptum,
Quem neque Diva potens puero fallente sagittis
Cuncta medullivori plenis ardore veneni
Despicit, et nullos etiam non torret ad ignis.

Quare age, si castos non aspernaris amores,
Communique putas hominum te lege teneri,
Quod facis, et curis liber potes esse remotis:
Pauca triumphalem referentia carmina pompam
Aspice; quae nobis veteres recolentibus ignis
Nuper ab Idalii digressa crepidine saxi
Condidit ipsa Venus, ducente Cupidine dextram.
Ergo ego dum meditor quae prima exordia sumam,
Quidque canam, sic ille praeit, sic ipse sequebar.
Jam Venus edomitum victore Cupidine mundum
Subdidit, imperioque premebat cuncta superbo.

Astra, Deos, elementa, homines, volucrisque ferasque.
Inflata ergo animis se non capientibus alto
Pectore, et insignem spoliis ductura triumphum
De tota rerum facie cunctisque creatis,
Constitit Idalii sublimi in vertice montis,
Cincta Cupidinibus Nymphisque, sedilia Divae
Plurima odoriferis circumtexentibus herbis.
Tunc sic aligeros victrix affatur amores:
Ite triumphandum, vobis victoribus, orbem
Me duce lustrantes, huc sistite quidquid ubique
Vivit, et huic regno quotacunque tributa pependit.
Illi praecipites similesque volantibus Euris

Deseruere Deam, totumque minacibus orbem
Pervolitant alis, matrisque ferocia victis
Jussa ferunt, vinclisque ligant victricia doctos
Signa sequi jamque ingentem et sine nomine turbam
Ante pedes Divae sistunt, mirabile dictu.
Non illo superûm quisquam sua templa tenebat
Tempore, tum Stygii vacuata est aula tyranni,
Indigenis spoliata carebant aequora monstris,
Terra suis neglecta animalibus orba relicta est,
Non aliquas habuit volucris ingloṛius aër,
Cunctus ad imperium siquidem confluxerat orbis.

Omnipotentis herae, stabat jam sceptra perosus
Juppiter, et veteres confessus imagine flammas
Multiplici, et secum reliquos undante trahebat
Agmine caelicolas, mediis Neptunus in undis
Arserat, amisit Stygium sua regia Ditem,
Plus penetrabilibus, quam quos regit, ignibus arsit
Phoebus, adhuc vinotum ridebat adultera Martem
Cypris, et informem tenuit placata maritum.
Nec tibi profuerat, Maja sate, mobilis harpe
Cuncta nec artificis ducentia verbera virgae,

Nec sua bis genitum texerunt cornua Bacchum,
Quo minus insignem decoraret et ipse triumphum.
Quos inter positis quis non rideret euntem
Arcubus Alciden, clava, spolioque leonis,
Hirta puellari stringentem pectora cultu,
Oechaliacque manu ducentem stamen Ioles?
Quid tibi nunc prosunt totum tot monstra per orbem
Perdomita, o magni proles Jovis, addite Divis?
Omnia qui vincis tenerum non vincis amorem?
Venit et agrestum promiscua turba Deorum
Capripedes, Faunique leves, Satyrique salaces,

Et culti arboreis sylvani tempora ramis
Panes, et exhaustis Silenûm turba cululis,
Omnia navigeri venerunt numina ponti,
Fassa suos propriis inventos fluctibus ignis,
Quos non ipse queat Nereus extinguere, ut undis
Deucalioneis iterum pater obruat orbem.
Parte alia superûm Divarum constitit agmen,
Et dominae Veneris victricia signa ferebat.
Nec jam poma duae repetebant aurea, nec se
Postpositas uni pudor est, puduisse fateri,
Cum tribus Iliaca Paris arbiter esset in Ida,
Qua Ceres incaluit, patria non traxit ab Aetna,
Nec flammam de fratre suo sibi Luna paravit.

Stabant et Charites formosae, et agrestia Nymphae
Numina, Naïades, Dryades, facilesque Napeae,
Arboribusque Deae agnatae. Quid plura? subibat
Opprobrium tanti Divûm genus omne triumphi,
Ibant et validis evincti colla catenis
Hic demum victi Heroes. Quos maximus inter
Jam non terribilem cristam quatiebat Achilles.
Constitit hunc juxta populorum rector Atrides
Immemor irarum, et vultu solatur amico
Flavicomum Menelaon adempta conjuge maestum.

Nec procul hinc Venerem quondam crudelis in ipsam
Tydides, magnaeque olim duo fulmina Trojae
Ajaces, et adhuc sua vulnera flebat Ulysses,
Non quae Troja illi, non quae ferus intulit Hector,
Pulchra sed in medio quibus illum filia Solis
Aequore confectum tenuit. Jam Dardana pubes
Ibat, et aequabat numero, quos Marte supremo
Non potuit, Paris, Aeneas, et maximus Hector,
Anchises, Capys, Assaracus, Tros, Ilus, et omni
Corpore Deiphobus laceratus fraude Lacaenae,

Quosque referre piget numero. Quis in omnia fando
Suffidiat? minimae nobis quota portio turbae
Cognita vix nostras quadam tenus attigit aures.
Quid referam, duplicis domitorem Thesea monstri
Non tamen heu fortis domuisse Cupidinis arcus?
Quid thalamos sperare ausum Plutonis avari
Pirithoum? Quid Agenoridas? Quid Iasona durum
In se vertentem quos non bene depulit ignis?
Nollet in hoc numero, sed se patiatur haberi
Magnus Alexander, quantumque vacabit ab armis,

Militet Idaliae dominae. Sive ille Philippum
Sive patrem Libycae cultorem agnoscat arenae.
Finiturus eram, nisi me Romana volentem
Nomina detineant. Quis nam modus? aut ubi finis
Agminis immensi? Nam sive quis ultima Trojae
Cum summis Romae conjungat tempora, nullos
Inveniet vacuos genitricis imagine fastos.
Aeneadum, quia matre Dea satus ipse Nepotes
Imbuit, et Venerem docuit conjungere Marti.
Nam, bella ut taceam Latium conflata per orbem

Unius ob thalamum, quantum dedit ille paterni
Ingenii specimen, cui raptae praeda Sabinae
Concessere? sua dignum quoque matre duellum.
Stabat nam celebri ducendus et ipse triumpho
Agmine stipatus longo turbaque minorum,
Fascibus insignes alii sellaque curuli,
Omnes materna redimiti tempora myrto.
Longe alios supra soboles insignis Iuli,
Qui rem Romanam primus perduxit ad unum,
Caesar Acidaliae non tantum cuspidis ictu,
Verum etiam laesus civilis vulnere dextrae.
I nunc, quid dubitas? victos, Auguste, triumpha
Arsacidas, ducende novo mox ipse triumpho.

Quis Tiberi nescit, quis diri stupra Neronis?
Ut valeant empti pretiosis fastibus ignes?
Quae te vincla tenent, si nunc potes, abjice, Claudi,
Absque tuo gemitu moriatur adultera conjux.
Lollia deponat quas non fert improba gemmas.
Quis ferat, ut possim, cunctorum nomina amantum
Dicere, qui tennere armis victricibus orbem,
Quos nunc stare vides victos puerilibus armis
Ante pedes dominae jam vincla jugumque minantis.
Dum loquor, a tergo voces audire gementum

Visus eram: Salve aeternum, clarissime vindex
Romani eloquii, patriae pater, optime consul,
Par superis Cicero, quis te Deus, egit? eah istis
Non potuit tua majestas foro libera vivi?
Sed video, illa tuos etiam vis oppressit hostis.
Nam quid dissimulas tua furta, nequissime Clodi,
Veste puellari? Qualis Antonius aestus,
Dum miser auratis fugit Accia littora rollis,
Exuit, et Phariae moritur male redditus aulae?
Inde sacri vates et, Divûm cura, poetae!
Ibant et querulis fundebant carmina nervis,

Carmina Cypriaden numquam motura superbam,
Orpheus et Thamyras, Linus, et Musaeus, et ille
Qui mediis placidos flexit delphinas in undis,
Quique suis traxisse sequacia saxa Camenis
Dicitur. His Latii non invida turba poëtae
Adsistunt, sacer ante alios Maro, cujus amores
Testatur moriens falsa sub imagine Dido,
Sive illum formosa calenti Lydia flamma,
Seu quaecumque fuit, quae tantis ignibus ussit
Omnia divino vincentem carmine vatem;

Felix ante alias Heroidas. Omnibus illam
Praetulero regum Berenicibus et Cleopatris.
Ante alios igitur stabat Maro, quemque canebat
Idem ille aversam deflesse Lycorida Gallum.
Tunc quoque non prudens tenerorum doctor amorum,
Ipse suis captus laqueis, tener inde Tibullus,
Et formosa suis quem Cynthia cepit ocellis.
Cynthia, verus amor quondam tibi, docte Properti,
Nunc quoque cantati quia vivunt semper amores.
Quique lyra varios cecinit quos pertulit ignis

Pindarica; neque te, numeris operose Catulle,
Transierim, nec enim tibi Lesbia blanda pudori est.
Hinc sua nec quidquam veteres sapientia Grajos
Texit, et injectis praetendit pallia vinclis.
Quis tibi, magne Plato, crudeli corda sagitta
Sauciat? an quidquam divina in pectora flammae
Juris habent Paphiae? Quis simius iste cicutis
Pocula mista ferens? Omnis nunc doctus elenchos
Nectat Aristoteles, dissolvet protinus omnis
Doctior ille puer, flammis qui vincit et arcu.

Quid facis heu Veneri stultissima turba sophorum?
Cur, quia damnabas, non haec puerilia vitas
Ludibria? procul hinc, non hic tua picta valebunt
Verba, quibus solis valuisti semper. Ut autem,
Ut video, nemo excedit, stant fortiter omnes.
Pallida praegravibus devincti membra catenis,
Barbara quin etiam stipantibus agmina turbis
Stabant, et leges ducis imperiumque manebant.
Musicus ante alios citharaque insignis eburna
Davides: juxta sapiens, at stultus Amori

Stirpis Iesseae Solomon decus. Ordine eodem
Ibat adhuc frendens effosso lumine Samson.
I nunc, Herculeas aequa, fortissime, laudes.
Nempe jaces, ut et ille, Suis, qui vicit utrumque,
Fortior ille fuit jaculis. Hinc flecte, retroque
Musa redi, viden' immensa est ea copia? Finem
Non habet iste labor, quod non potes esse nec optes,
Sed tenet et frustra nova turba moratur euntem
Femineo plangore, quis est chorus iste? Puellae,
Agnosco, quas durus amor tam saeva coëgit

Vincla pati, formosae Heroides, ite, triumpho
Laturae decus. En niveos formosa lacertos
Plangit, et Iliacum de crinibus eruit aurum
Tyndaris, Hermione juxta soror, hanc Eriphyle
Consequitur. Quid Phaedra gemis? quid credula Procri
Respicis? obscuros cur quaeris Phylli recessus?
Inde aliae subeunt Phoenissaque Pasiphaëque
Laodamiaque Deianiraque Deidamiaque
Evadneque Ariadnaque Sapphoque Eurydiceque
Innumeraeque aliae. Non plures aëre guttae

Praecipitant, cum saevit hiems Aquilone refusis
Imbribus, et plenis grassatur nubibus Auster.
Area nec dum omnis spatiosi immensa theatri
Ceperat, intrabant alii, passimque ruebant
Ordine confuso, quoniam lex omnibus una est,
Frena pati, duris et subdere colla lupatis.
Quis furor hic? saevae quae tanta potentia pestis?
Omnis una agitat rabies, furor omnibus unus,
In Venerem ruere et puero servire tyranno.
Namque hic non tantum fatui promiscua vulgi,

Verum etiam tonsae stabat bona turba coronae,
Cura quibus Divûm statuas et sacra tueri,
Qui coelos aperire et claudere posse feruntur,
Cum libet, et scelerum perplexos solvere nodos.
Ah miseri! cur non volucris conjecta puelli
Vincula solverunt? quid solvere posse putemus,
Quorum tam saevo libertas carcere clausa est?
Nam magis hoc aliis vincit Venus, improbanam sunt
Turba voluptatum longe pars maxima, quis sit
Laeta Venus. Quibus illecebris pascuntur amores,

Ire coronatos videas vittisque superbos,
Insignis triplici quosdam diademate, quosdam
Corpora terribili deformis tota cucullo,
Nec procul indutae quaedam sacra pepla puellae
Annosaeque nurus et abusae aetate sorores.
Stabant cuncta suis animalia subdita signis,
Imperioque ducis respondent omnia Divae.
Hactenus ausa fuit tali se Musa triumpho
Ingerere, et casto paucorum nomina versu
Dicere, quos incestus amor confecit acerbis
Vulneribus, tum retro abiit, turbamque reliquit,
Ne forte indigno traheretur et ipsa triumpho.

Hic est ille suis periens exercitus armis,
Quem sua devicto victoria tradidit hosti.
Quem satis est tanquam digito monstrasse, referri
Non poterat, non si plures meditentur Homeri
Ter centum Iliadas, non si mihi mille Marones
Omnibus innumeras texant Aeneidas annis.
Dum tamen ecce ferox alis volat omnia circum
Agmina dinumerans et tradita signa Cupido,
Solae defuerant contempto numine Musae
Ignipotentis herae, et victore Cupidinis arcu,

Quae cur defuerint, cur non crudelibus istis
Paruerint dominis, aut num venisse putémus,
Postquam caelivagos iterum Dea misit amores?
Et quibus has verbis sit respondisse putandum:
Dic age docte novem causis Iochime sororum
Consulere arcanis. Sic te quoque blanda lacessat
Leniter, et placidum faveat tibi Cypris amorem,
Quod facit, et pariles in mutua pectora flammas
Urgeat, et thalamo fixos non distrahat ignis
Legitimo. Sic semper eas in coepta secundis

Auspiciis, animique tibi liberrima constent
Otia, ut assuetas Veneri conjungere Musas
Possis, venturae solatia certa senectae.

JOACH. CAMERARII

QUERELA

ADVERSUS

VENEREM

Tanta triumphato non cepit gaudia mundo
Alma parens volucrum, quae nos non curat, amorum,
Quanta tuum nobis dedit oblectamina carmen,
Hesse novenarum decus et tutela sororum.
In quo dum pompas oculis, dum fercula lustro
Captivosque greges, et subdita colla catonis,
Et multo armato castrensis milite turmas,

Tu quoque praecipue medios conspectus es inter,
Vates, imbellis Elegos et scripta recente
Sicanio dextra portans deducta magistro.
Nos etiam denso cognovimus agmine vulgi
Dejectosque caput, manibusque in pectore junctis
Auxilium divae et juga dulcia voce precantes,
Cum te deserto quo stabas ordine sensi.
In stolidae plebis me visum forte caterva,
Antiqui memorem socii, accessisse repente
Et laetam amplecti et curarum quaerere causas,
Qui mea corda dolor, quae sollicitudo fatiget.
Accipe Pieridumque sacer Phoebique sacerdos
Pectoris afflicti flammas miserumque dolorem.

Cernis quo imperio, qua se Cythereïa jactent
Regnia potestate, et qua vi regina, deorum
Numine contempto, coelos terrasque fretumque
Infernasque premat domino pede, Cypria, sedes,
Et leges ferat et mollissima vincula nectat,
Vincula de foliis vernarum texta rosarum.
Me solum hoc populo in tanto dea respuit, Hesse
Me miserum nec amore jubet cogitve neguntem
Quam semper colui, cujus praeconia versus
Fecerunt semper tenues, ut qualibus antra

Hercyniae resonant et Moeni glauca fluenta.
Ergo mihi flos arentis sine amore juventae
Decidet, et nullos hominum carpetur in usus!
Anne aliquo teneras flagrabunt igne medullae,
Laesa gemet nulla mens suaviter aegra sagitta?
Parce mihi, heu, Dea, parce mihi, dabo munera supplex
Aris, delectas pecudes, quas gramina pascunt
Pinguia Regnesi lapidosi, fluminis unda.
Gloria non haec est sane accessura triumpho:
Sed nec onus fuerit, sic plebem inter latuisse,

Et sic amantum inter contemptum vivere coetus.
To quoque, si quid opis potes, o divine poeta,
Affer et auxilio venias, Divamque voca-to
Flebilibus numeris, etiam tua Juppiter audit
Carmina, jam sparsa sibi, cognita carmina fama.
Illum de terris quoties non segnis in aulam
Mercurius superûm rediit, scitarier ajunt,
Ecqua nova Heliaco visantur carmina cultu.
Sic ego. Sic dictis tunc es solatus amicis:
Non ego inexpertos Edonos esse putarim

Diva tui pueri flaminarum Erycina, gelati
Quamvis non unquam liquantur Apolline montes,
Non rupem assiduis Blemyarum solibus atram,
Nilus ubi extrema caput occulit orbis in ora.
Tu Saturnigenam tota cum gente suorum
Coelicolûm regem, posito moderamine mundi,
Lu se non dignas cogis transire figuras.
Aestuat igne tuo mediis Neptunus in undis,
Te colit et saevi Cocytia regia Ditis,
Te nymphae Stygiae venerantur, cuncta Deorum
Imperio subjecta premis, Dea, numine blando.

So tibi, se subdunt tigres fulvique leones,
Quos tuus unanimis jungit puer improbus, ante
Matris agit currusque feros stimulisque lacessit.
Parve puer, tibi, parve, cave, ne quando furore
Percita te exeutiat, laniataque bellua membra
Dissipet Idaliis in collibus. Heu mihi quanta
Ista tuae rabies, quanta est audacia mentis.
Ergo, o communis Joachime ignare periclì,
Non etiam ferme communi praedite sensu,
In te solo arcus fractos jaculumque retusum

Gestat, quem nulli dicunt parsisse, Cupido?
Quin agis ergo bonis Dis felicissime grates
Thuraque fers laticesque focis. An qualia nescis
Sint ea dona? mihi paucis communia crede,
Paucis, quis virtus Veneris sua spernere rara
Jussa superba dedit. Quin aspicis, ut Dea vultu
Irato stet crebra minis convicia miscens,
Quod non Thespiades faciant mandata puellae,
Et quod eant toties frustra redeantque ministri.
Illae indignantem spernunt, spernuntque minantem,

Et viridis collis et flumina pura tuentur,
Victricisque Deae solae aspernantur habenas.
Nec tantum Paphiae res est tamen ista dolori,
Quantum Heliconiadum facto exemploque movetur,
Dianaeque Choris et virginitate Minervae
Afficitur, minuique dolet sua regna, fremitque
Non nati, qui tela Jovis Titania temnit,
Hic arcusve ferire, suas viresve valere.
Potandos olim praebent qui se tibi fontes
Castalii, solito pura magis undique lympha
Sic tibi se fundant, sic laurus in tua semper
Serta virere velit, cui nostri haud cura recessit.

Atque utinam dictis, quibus es solatus amicum,
Non majora forent animi fatalia damna.
Nam mihi quae ratio, nos hoc quoque praeterit ipsos,
Hic tantum valet, ut pulcherrima dicta refutet,
Nec nos exemplis tangi patiatur ab istis.
Docte deûm veniam mihi des arcana poeta.
Scilicet hic quaedam succurrunt facta Minervae
Sive pudica parum seu non bene virgine digna
Et contemptrici Gnidiae contraria Divae.
Quippe haec sustinuit nudam se in vallibus Idae
Judicis ante oculos inferre cupidine formae.

An nihil esse putem causae quod Persea, quodque
Fautor Agenoriden sequitur. Nam casta Diana
De nihilo non est nocturni carminis auspex.
Nec tantum nudam, sed turpia crimina nudae
Vidit, falsa sua qui gessit cornua fronte,
Deceptosque cruore canes satiavit herili.
O tristem errorem! tales sunt virginis irae,
Quae non saxa gradu properato Latmia linquens
Hospitis incisos aris depaseitur artus.
Haec tamen illa facit, Veneris quae gaudia nescit,
Quid patrante etiam fertur quod lumine partus

Aspicere, et tremulos luci producere foetus.

Vestra Jovis natae felicia numina magni
Sint mihi, vos Divae felici Cypridos ausu
Sceptra recusatis, nec quo vocat illa venitis.

At non ut merito vobis Amathusia possit
Succensere tamen. Non haec truculentia Divae
Vos tangit. Qui se laedunt, mala saeva minatur.
Vos neque despicitis, neque vos odistis amorem,
Ille tuus natus testis, postrema sororum.
Sed qua nulla omnis tamen est prestantior inter
Testis et Odrysius Tydidae victima Rhesus.

Testes innumerique modi, quibus usque so-
letis
Alterius matrem et puerum celebrare po-
tentem.
Castus amor laudem per vos, odiumque
meretur
Incestus, geminum quod dilatavi ad
axem
Vires, munus, ut est, vestrum Venus esse
fatetur.
Inter vos arcu stat non feriente Cupido,
Et face seposita ludit pharetramque recin-
ctus,
Seque puellaris patitur contingere pal-
mas.
Jam quoque si Venus accersat placare vi-
debis
Verbis, vim flammae non aspirare recen-
ti.

Audiet haec etiam suavissima concio dicta,
Quae missi Aonio referent de vertice Amores,
Aut hoc aut non dissimili prolata tenore,
Ore, Thaleia, tuo sive ore tuo, Polymneia,
Non quia nos esse in Veneris ditione negemus.
Mollibus o similes pueri ora rubentia pomis,
Et notos fontis et flumina nota tenemus,
Nec sumus in turba pars vix nosoenda frequente.
Sed quoniam teneras turbae inter adesse puellas
E tam confuso pudet agmine, mansimus illa

In statione, minus nihilo tamen esse fatemur
Nos Veneris famulas. Utetur cum volet ipsa:
Sive Deae totum laus sit cantanda per orbem,
Solis ad occasus lyra nostra sonabit ab ortu,
Seu quaeret tristis de pectore pellere curas,
Dextera laetifici percurret pollice chordas.
Quid quod et in nostro vestro de nomine coetu
Est soror, o rosei fidentes oris Amores.
Nunc et in Aonio peragemus vertice festum;
Ad numerosque fides et fila canora legentis,

Tibia nec laetis deerit modulata choreis.
Quare ubicunque sumus socias agnoscite partis.
Sentiat imperium Paphiaeque potentia sceptra,
Si quis vel nescit vel non veneratur amorem,
Flagitiisque suis praetendit quidquid ubique est.
Te, Dea, da facilem nobis, tua saeviat ira
In simulatores morum vitaeque severae,
His melius Divae sibi conciliare favorem
Pieridas cernes, quam si mandata superba
Perficerent, gaudet vero Venus ipsa pudore.
Sed frustra, heu frustra nunc commemoravimus ista,

Et frustra auxilium Divae veniamque roga-
mus.
Tunc iterùm es moestum sic, Hesse, affatus
amicum.
Non semper pluvio volitant nigra nubila
coelo,
Nec tristes hyemes semper maria aspera ve-
xant.
Ille poli nuper minitans terraeque ruinas
Rex superùm claro pacem nunc reddit
Olympo,
Te quoque spes vivum melioris nutriat au-
rae,
Defunctum fato demum sperare vetabo,
Et jam, sensit enim, limis nos spectat o-
cellis,
Propitiumque aliquid Venus annuit, et tibi
vates

Omnia polliceor, Joachime, in amore secunda.
Neve moram timeas, capit ecce Cupido sagittas,
Aurata quarum resplendet cuspide ferrum,
Intentatque tibi, heu miserum quae vulnera, quae te
Plaga manet, sonuit ni fallor amorifer arcus.
Non fallor: sonuit, laterisque in parte sinistra
Tincta Cupidineis haesérunt spicula succis.
Inque jecur penitus velox intravit arundo.
Ecce autem puer arcum iterum curvatque, capitque
Tela magis rutilo spectanda prioribus auro,

Et lónge in densam defigit lumina turbam,
Jamque alata volat, gemuit jam fixa sagitta
Et stetit in tenera externa de gente puella.
Illa in te vultus stupet en conjecta modestos
Et conferre gradus cupiens pudibunda moratur.
Sed neque cerva potest in sylvis saucia certo
Stare loco, quin omne nemus vesana pererret.
Haec quoque quo laesit Deus in te vertet amorem,
Et jam, vertit enim, te prae omnibus eligit unum,
Tu quoque virginibus prae cunctis eligis unam.

Tantane vis in amore subest, non viderat ante
Alter, et alterius jucundo carpitur igne.
Vera refers vates. Sed vos jam parcite Divi,
Parcite jam Divi, sic exaudire parati
Suppliciter factos questus; locus hic sacer esto,
In quem perveni caelebs, discedo maritus.

IN NUPTIIS

JOACH. CAMERARII

EPITHALAMION

PER

EOBANUM HESSUM.

Τὰ πρόσωπα.

MERCURIUS.

VENUS.

CHORUS GRATIARUM.

MUSAE NOVEM, quae singulae loquuntur carmine vario.

Res agitur in urbe Norica.

MERCURIUS loquitur.

Omnia qui celeris Divûm mandata per auras
Exsequor, imparibus quatiens talaria pennis,
Artificemque manu virgam rego, sive sub umbras
Mittere, sive opus est umbris arcessere manis,
Hac lethum vitamque fero, plumante galero
Tempora contectus, qui, qua nunc stare videtis

Succinctum latus, hac Argum confecimus Harpe,
Argum per varium tot habentem lumina corpus,
Explicat instabilis quot avis Junonia pennas.
Idem ego, quem Superûm rex summus Atlantide Maja
Progenuit, regnique volens in parte locavit,
Ingenioque dedit linguaque valere diserta,
Quaerendisque deum per mille pericula rebus
Praefecit varias variantem cuncta per artis,
Missus in hanc venio ripam Pegnesidos undae,
Norica quam pulchro circumdant moenia flexu,

Conventum Venerem et Musas Charitasque sorores,
Ecquis ut inveniam, dum Penea namque relinquunt
Pegnesi hanc celebrem venisse feruntur in urbem,
Monstrabit? tanto e populo nemo? Aut ego fallor,
Aut sonat a laeva nostras concentus ad auris,
Quali Pierides Divae super aethera nuper
Concinuere Jovi genialia sacra paranti,
Quin potius vocem sequar, experiarque videndo.

VENUS.

Quis procul Divûm loquitur? sub auris
Venit, o Musae, sonus undequaque
Coelitum spirans, nihil ille praefert
Vocis humanae, nisi fallit autem
Visus, agnosco volucrem Deorum
Nuncium, cujus procul arma fulgent,
Virga, pennatum caput, Argicida
Ensis, o Musae, Charitesque blandae,
Virgines mecum (quia sic decebat
Ire tam castas Hymenaea agentes
Sacra tam casto juveni) venite,
Ille quas forsan petit, alloquemur.
Frater, o magno Jove nate, salve,
Causa quae terras nova te coëgit
Visere, et lapsu patrium citato
Linquere coelum?

MERCURIUS.

Qualis eras Phrygia praelata duabus in Ida,
Qualis ad Anchisen diceris isse tuum,
Talis in hoc coetu cum sis, Venus, hunc-cine vultum
Adsumptum frustra suspicer esse tibi?
Inde quid Aonides tecum venere puellae?
Iste solet castis semper adesse chorus.

VENUS.

Quin tu dic prius esse quam putemus,
Quae nova tam rarae sit tibi causa viae.
Tum nostri quoque certiora cultus
Nomina praescripta cum ratione scies,
Cur nostrum latus Aones puellae
Cingant, virginei numina sancta chori.

MERCURIUS.

Pater Deorum nubicoga Juppiter,
Cum sciret urbem Noricam
Musis parare Hymenaea, non inutilem
Sed et petendum Gratiis,
Me virginalis misit accitum choros
Ab usque terra Phocide,
Et te, soror genialis, e templo Paphi
Tibique adsistentis Gratias.
Sed pervagatus quidquid usquam gentium
Musis sacratum creditur,
Nec te nec illas invenio usquam gentium,
Quod has relicta Graecia
Rumor fuit petisse rura Norica,
Pegnesus amnis quae rigat.
Nunc quando vos in hisce moenibus simul
Pulchre morantis conspicor,
Jovi obsequentes, huc adeste, qua domus

Strepit hymnis nuptialibus,
Facesque fulgent, et caterva virginum
Hymenaea festa concinit.

CHORUS GRATIARUM.

Adeste, Divae Mnemosyne satae,
Musae supremi progenies Jovis,
Frontis coronatae decoras,
Barbiton et citharam ferentes.

Canenda vobis festa Hymeneïa,
Sed tam pudicas qualia condecent.
Adeste, jucundae sorores
Festa Hymenaea simul canemus.

Non ante Musis candidior Venus
Festa revinctum fronde Cupidinem
Parere jussit, nec minacem,
Sed placidum levibus sagittis.

Auro gravata fortis arundine
Quid erubescis? quemve times puer?
Telo feri, quos destinatos
Legitimo socias cubili.

Blanditur eja, sed ferit interim
Ictuque molli pectora sauciat,
Nuptaeque formosae virique
Tela avidas agit in medullas.

Spectate, Musae, pectora dulcibus
Flammis perustos, quis genialibus
Telis adornatus Cupido
In thalamum praeit auspicatum.

Vos concinentes carmina mutuis
Alterna plectris dicite nuptias,
Qualis nec agnatus deorum
Aesonides celebrasse fertur.

CHORUS MUSARUM.

CALLIOPE.

Dicite felicem faciles Hymenea Camoenae,
Qualemque vix videre meministis antea,
Non cum Threïcii pulchris in vallibus Haemi
Cesto jugali deligastis Orphea,
Non cum Stella, tuas Violantillaeque beatas
Vestro favore reddidistis nuptias,
Non cum te juveni civilia bella canenti
Ad sacra nostra natam, Polla, junximus.
Eja igitur grate tam grata luce sorores
Ipsis adeste concinentes Gratiis,

Formosamque novis conspergite floribus Annam,
Tibi futuram mox, Joachime, conjugem.
Fronde maritalem thalamum redimite virenti
Daphnes amatae praesidi nobis Deo.
Inde canora suis aptantes organa nervis,
Paeana concinite septies laetissimum.
Felix illa dies, cupidos quae junxit amantis,
Nuptae virique gaudiorum conscia.
Vivite legitimi sociati foedere lecti,
Joachime et Anna, cura justa Coelitum.
Vobis dextra pii faveat clementia coeli
Laetas Tobiae junioris nuptias.

CLIO.

Eja surgite, pronubae,
Spectandam Charites ducite virginem
Ad lectum genialibus
Constratum Paphiae frondibus arboris,
Et plenis date dexteris
Narcissos, violas, lilia cum rosis,
Et conspergite lectulum,
Felicem duplici nomine lectulum,
Quod rara juvenem fide,
Raris ingenii dotibus accipit,
Formae munere virginem
Aequandam Veneri, pace tua, Venus
Quod dixisse feras precor,
Nec castis modice moribus utilem.
Felicem ter et amplius
Hac sponsa juvenem, conjuge virginem

O quae gaudia vos manent
Concordis animis, et studiis paris,
Annis tam juvenilibus!
Quos Parca ad senium provehet ultimum
Laetis lacta negotiis.
Nunc ite et cupidis legitima fide
Indulgete laboribus.
Hoc dandum Veneri est, dum licet et juvat.

MELPOMENE.

Illum dextra Dei fortiter augeat,
Et plenis cumulet copia cornibus,
Quem nos dicere blando
Concentu superi jubent.

Illam laeta Venus faustiter evehat,
Et Lucina bonis auspiciis velit
Conservare puellam,
Cujus nos hodie damus
Virtuti et meritis tot nova carmina.

Heu quantis juvenem conficit ignibus
Tandem casta Venus, qua face virginem
Flagrantem vice blanda
Cesto colligit aureo.

Digno juncta viro virgo, vir addite
Te dignis thalamis, conjugis o tuae
Num gaudes, Joachime?
Gaudes, Anna, decus viri?

Ecquid dulcius hoc esse potest jugo
Quo nec liberius, nec quid honestius
Naturae moderator
Humano generi dedit?

THALIA.

Oscula conjugibus non cedant vestra columbis,
Brachia non hederis.
Nec bene vivendo superet vos garrula cornix,
Solave semper avis.
Contingant vobis Pythii praedivitis umbrae
Et nemora Hesperidum.
Vos beet influxu largo Pactolus, inauret
Divitis unda Tagi.
Villas Luculli vos possideatis, et hortos,
Dives Adoni, tuos.
Vobis laeta sinu fundat Fortuna benigno
Totius orbis opes.
Pergat ut auspiciis felicibus hic, Hymenaeus
Nuptaque virque tibi,

Hoc Musae Charitesque jubent, hoc Juppiter ipse
Fataque cuncta volunt.
Cede bonis avibus carae, Joachime, puellae,
Annaque blanda, viro.

EUTERPE.

Huc ades, alma Venus, jam te decet esse liberalem
Notissimarum virium per orbem,
Quas casto juveni, castae simul influas puellae,
Ut esse digna prole se parentes
Possint, et sobolem multa vice procreare longam,
Ut fructuosae palmites olivae.
Ut soliti teneris succrescere vitibus racemi
Augent honorem vineae virentis,

Sic illis propriae gentis, Venus, augeàs honorem
Non absque multa dote Gratiarum,
Non sine Fortunae ridentis amabili favore,
Non absque nostri numinis lepore.
At vos, o cupidi, nostrum decus, ite nunc amantes,
Dum non pudendis ignibus caletis,
Mutua miscentes incendia dissipate flammam,
Qua grata ducit, qua jubet voluptas.
Vestrum hoc officium est, vos hoc decet inchoare munus,
Hoc casta suadet virginum caterva.
Non decet aetatis florem sine fructibus relinqui
Exhauriendum frigidae senectae.

E R A T O.

Prome de picta pharetra, Cupido,
Auream pulchris manibus sagittam,
Et per amborum penitus calentis
Fige medullas.

Mutuis flagrent facibus, nec unquam
Frigeant, donec melior favebit
Spiritum sanguis spatiosa longae
Semina vitae.

Jure felices, quibus hoc dederunt
Fata tam justis coalere flammis,
Inter ut veri bona consenescant
Commoda amoris.

Non graves illis nocuisse casus,
Nec leves rerum poterint procellae,
Tuta sed laetos vehit in beato
Gratia curru.

Aurcam quod si mediocritatem
Forsan agnoscant, poterintque vani
Fastibus vulgi caruisse, vitae est
Summa beatae.

Ergo te, nostri, Joachime, regni
Unice carum decus, haec voluptas
Reddit et nobis Superisque cunctis
Semper amandum.

Teque, divini specimen pudoris,
Anna, felicem faciunt et aetas
Et decor formae, pudor, et mariti
Vivida virtus.

Ite desponsi, quia nuptialis
Hora vos lectum vocat in jugalem,
Ite nec longum retinete dulcis
Gaudia ludi.

Praeferunt blandi faculas amores,
Gratiae nudos comitantur intro.
Ad foris clausas thalami canemus
Carmina Musae.

TERPSICHORE.

Vere novo variis pubescit floribus orbis,
Quos insalubri decutit frigore tristis hiems.
Sic primaeva suis turgescit fructibus aetas,
Quos insüavi debilis falce senecta metit.
Qui sapis, instabilis, dum vernat, collige flores,
Hiems inanit pristinis floribus omne solum.
Utere flore tuo, dum flos aetàtis in herba est,
Jam te occupabit praepeti curva senecta gradu.

Quis furor est prima florem consumere in herba,
Ne forte possit fructibus luxuriare suis?
Vos igitur nova nupta novis operate Hymenaeis,
Joachime, ne aetatis sinas dona perire tuae.
Sicut enim aetatis jam flores indole laeta,
Sic, quo superbis nunc, vigor non erit iste diu.
Et tibi tempus erit, quo possis dicere amavi,
Nunc ergo, dum praesens adest temporis usus, ama,
Et tetricos contemne severa fronte Catones,
Et, quidquid usquam est tristium, tanquam aconita fuge.
Sic libertatem, quam debes velle, tenebis,
Et te et pudicam conjugem provehet aequa Venus.

URANIA.

Non census, nec opes, nec veterum splendor imaginum,
Nec quidquid usquam gentium
Mirantur quicunque aut sapiunt, aut sapere expetunt,
Vitam beatam continet.
Verum casta domi, nec petulans uxor amans viri
Forma modesta praedita.
Caetera si spectes, sunt et enim caetera plurima,
Quae posse contendunt idem,
Esse putes aliquid. Sed tamen est maxima conjugis
Ad hoc pudicae gloria.

Caetera saepe malis sors etiam lubrica contulit,
Tori fides est rara dos.
Cui tamen illa bono contigerit munere coelitum,
Quidni beatum dixeris?
Macte igitur tali conjugio, quod reliquum est tibi,
Joachime, praestabunt Dei.
Ne modo desperes, si qua Notis aura reflantibus
Cursus retardarit tuos.
Ipsa ego, de superis quae venio, spe jubeo bona
Manere te dextram Dei.

POLYMNIA.

Docte novem patria lingua Joachime sorores
Compellare, simulque Latina
Extendisse cheli digitos cantusque movere,
Qualibus Aonos antra resultent
Musica, quos patriam stupeat Pegnesus ad urbem
Penea vincere jam meditatus,
Postquam nos patria profugas in sede recepit,
Muneribusque adfecit opimis.
Nunc age forfunate novis atque aucte Hymenaeis,
Esse virum te perge docere.
Et quia facta Venus per te est carissima nobis

Nostrarum velut una sororum,
Dum colis hanc, sicut debes tam pulchra merentem,
Nos etiam coluisse memento.
Quae tibi felicem lyricos Hymenaea per hymnos
Non tantum in tua saecla dicamus.
Foedere legitimo concordes vivite amantes
Tempore nuptaque virque perenni.
Et date conjugii felicia pignora vestri,
Quos faustos precor ite per annos.
Ut vos posteritas intelligat omnis, ab illa
Pulchros stirpe dedisse nepotes.

VENUS MUSIS.

Vivite nunc et abite bona cum pace, sorores,
O sacer Aonidum turba pudica chorus.
Caetera, quae restant, per me nunc intus agentur,
Castis virginibus non patet iste locus.
Fas tamen est Charitas mecum venisse, quod illis
Illo praecipue convenit esse loco.
Vos precor hanc urbem, Musae, atque haec rura colatis,
Dum, Pegnese, aliquas pulcher habebis aquas.
Ipsa quoque Idalia migrans ab sede, triumphum
Hic, nisi de vobis, totius orbis agam.

MERCURIUS spectatoribus.

Et vos abite, spectatores, jam satis
Spectata est isthaec fabula, hoc restat tamen,
Omnes bene ut precemini his peractis nuptiis
Nuptae viroque gratia quorum datum est
Hoc ludicrum, quot adfuistis omnibus,
Itemque quot non adfuistis omnibus.
Nec vestra tantum his, sed ratio est habita omnium
Qui sunt futuri. Nam quod istae virgines,
Quas stare nunc videtis ad thalami foris,
Semel dicarunt, hoc perire non potest.
Has mecum abducere hinc animus nunc est mihi.

Quod ut feratis atque animo patiamini
Haud quaquam iniquo, forsan exoravero,
Quando hasce orbis Gratias reliquero
In hisce nuptiarum amoenitatibus.
Nam virgines et hae licet sint, attamen
Miscere sese nuptiarum gaudiis
Solent, et officiosae in his vagarier
Ultro citroque supra et infra lectulum
Tori genialis, et movere incendia,
Quae non refusa grandis unda Nerei
Restinguat, has vobis relinquam virgines.
Musas remittam cras, ubi peregerint
Suum Venus suumque munus Gratiae.
Nam se manere velle pulchre dictitant
Ad hasce ripas inclytae Pegnesidas
Orae. Sed eja jam domum concedite
Suumque quisque quod facit negotium

Meo favore et propitio faxit Jove.
Jam nunc valete, et si placuere nuptiae
Cantusque blandi virginum trium et novem
Animis manibusque gratulantes plaudite.

AD

JOACH. CAMERARIUM

IN

HISPANIAS

ABEUNTEM.

Littoris Hesperii populos aditure, propinquis
Qua coit Herculei Gadibus unda freti,
Vade bonis avibus, quoniam sic ire necesse est,
Non levis o animi pars, Joachime, mei.
Non licuit sacras tecum coluisse sorores,
Nuper is exigui temporis usus erat.
Sed quae nunc rapiunt eadem te fata reducent,
Di faciant subito, sed meliore gradu.
Nobis interea mora longa videbitur omnis,
Tristis et invisos exiget hora dies.

Sicut enim Aonidum comes unicus inter amores
Contigeras; nobis te caruisse grave est.
Faverat hoc meritis forsan fortuna, sed ipsum
Cur non perpetuum, quod dedit, esse dedit?
Tam pulchre coeptum cur interrupit, et ausa est
Injecta cursum detinuisse manu?
Di faciant patrios finis exire parantem,
Augurio teneat sed bona causa novo.
Vade tamen, Tartessiaci pete littus Iberi,
Et quod oliviferi Betidos unda rigat;
Inclyta non tantum veteris loca nomine famae;
Quam quia praesentis illa dedere Deos,
Praecipue qui nunc Romanum Carolus orbem
Adserit, et reges Caesar in arma vocat,

Alter at imperium repetit Fernandus avitum,
Hei mihi quas poenas proditor Hunne dabis?
Regia progenies, et sanguinis Aemiliani
Optima pars, magni regna tenetis avi.
Vade igitur, pete conciliis loca sacra Deorum,
Caesar ubi est, aliquos quis neget esse Deos?
Vade per occidui scopulosa volumina Rheni,
Et pete felici Gallica rura pede.
Littora contigeris Rhodani pulcherrima magni,
Perge, locus facilis non habet iste Deos.
Protinus Alpinas a laeva liqueris arcis,
Alta Pyrenaei culmina scande jugi.
Ulteriora leges, feliciter omnia, donec
Constiteris magni Caesaris ante pedes.

Hic mihi dum supplex Augustum numen adoras,
Aut hos aut similis concipe mente sonos:
Salve animo major regnis invicte paternis,
Et quod habes, vere, Carole, nomen habe.
Plura daturus eram occiduum mandata sub axem,
Sed fugis, et mecum posse manere negas.
Vade animo laeto, juvenum decus, auspice, sortis
Sollicitae virtus est tibi causa viae.
Vade, tuum comitentur iter, serventque frequentes,
Quidquid adhuc Charitum maximus orbis habet.
Tu peregrinantis tecum, Joachime, Camaenas
Sic referas nobis, sicut abire facis.

GE. BUCHANANO

V A R I A

CANENTI

UTI

PLACIDAM PRAEBEATIS AUREM.

ROGAT

C. P. F.



AD LECTORES.

GEORGIUM BUCHANANUM Scotum vario eruditionis genere clarruisse quis est qui ignoret? Ceterum in rem literariam et in patriae maxime historiam illius merita hic non est quod laudemus. Abunde laudis

materiem nobis praebet „placidum quo nascentem illum MELPOMENE vidit, lumen.“

Certe, sicuti Taubmannus *noster, a cunis inde ad Heliconem ingenii quodam impetu raptus esse videatur. Quam egregiam naturae vim ne crassissimae quidem* Scholastices *moles, cui se subdere fato fuit subactus, deprimere valuit, adeo ut luculentissima sui documenta vis ista nobis reliquerit admiranda.*

E tantis opibus graviora sane, eademque magnisona depromenda habebam: Ast a longioribus carminibus voluminis angustia, suis limitibus circumscripta, abstinere jubebat: tum levusculis lusibus me applicando, consilio in hisce editiunculis proposito arctius mihi videbar inhaesurus, quippe quo seria rarius attigissem; porro cum Venus triumphans *continuam quasi duxisset pompam, lectorum animis delectandis centones varios magis aptos ducebam.*

Superest, uti delectus hujus obtrectatoribus obviam eatur, quibus duplicem ab isto cavillandi materiem praebitum iri dicas. Sunt enim quaedam liberius dicta, quae „constricta ne spectent fronte Catones,“ verendum. Verum enim vero si hujuscemodi joci essent eliminandi, Catullo, Martiali vix superfuerit quod non ejicias, et complurium autorum classicorum scripta ad modum PP. S. J. forent expurganda aut potius detruncanda.

Cucullati praeterea in hac scena partes agunt odiosas magis quam gratiosas, de quibus sectatores istorum jure quodam suo questuros praesentio. Sed Buchananum ideo vituperare eo minus fas est, quo acrius ab ipso rege ad monachos oppugnandos est provocatus, et quo pejus ab illis ipse fuit habitus, donec signa eorum sequebatur. Nec a nostris temporibus poetae in fratres fraterrimos joci alieni sunt, quandoquidem ceu canem ad vomitum (sit

venia verbo) aetatem nostram videmus reversuram.

Res diverse omnino judicandum de meritissimis, quibus Roma cum papatu suo et papis perstringitur, scommatibus. Videlicet postquam eae sordes ejectae pene videbantur, pontificiarumque nugarum et curialium assectus ad veri tandem notitiam perductum iri illosque sanam mentem recuperaturos sperabatur: eo plenius omnis stultitiae et nequitiae voragine

sese ingurgitare, quin puriori doctrina imbutos secum in barbariem retrahere coepere. Quo magis vigilandum nobis, ne Gregorii VII. tempora nobis redeant, quod quin illi enixissime studeant nemo est qui dubitet! Juverit igitur meminisse quae de horrenda religionis profanatione a papis monachisque profecta senserit egregii ingenii poeta.

Haec sunt, quae de Variis *Buchanani praemonenda censui. Quod*

reliquum est, rogo uti lectores opel-
lae meae favere pergant.

Scr. Rudolphopoli Cal. Jul. 1823.

GE. BUCHANANI

V A R I A.

AD THEODORUM BEZAM.

Praesul optime, sacra Christiana
Qui caste colis et facis, canisque,
Ad te carmina mitto, nec Latino
Nec Grajo sale tincta, sed Britannis
Natà in montibus horrida sub Arcto,
Nec coelo neque saeculo erudito.
Quae si judicio tuo probentur,

Ut classis modo in ultimae, referri
Possint centurias, nihil timebo
Censuram invidiae, nihil morabor
Senatus oritici severitatem,
Nihil grammaticas tribus: mihi unus
Reza est curia, censor, et Quirites.

IN BELEAGONEM.

I

Beleago fomes et parens mendacii,
Ab ore cujus pavida veritas fugit,
Mali susurrat nescio quid clanculum:
At fama de illo non susurrat, sed palam
Hoc universus populus affirmat, quod est
Beleago fomes et parens mendacii,
Ab ore cujus pavida veritas fugit.
Hoc igitur aequus aestumator judicet,
An mentiatur populus universus, an
Beleago fomes et parens mendacii,
Ab ore cujus pavida veritas fugit.

AD IDOLORUM CULTOREM.

Oscula, serta, rosas das et libamina saxo?
Teque pium dici, cum facis ista, cupis?
Quid tibi pro tanta majus pietate precemur,
Quam ut fias numen tu quoque, quale colis?

IN PIUM (V.) PONTIFICEM.

Vendidit aëre polum, terras in morte relinquit.
Styx superest Papae quam colat una Pio.

IN JULIUM (PONTIFICEM).

Stare diu haud poterant mundusque et Julius una,
Omnia perdendi tam ferus ardor erat.
Ergo, ne ante diem mundi structura periret,
Ad Styga discessit Julius ante diem.

IN PONTIFICES.

Paedicat Paulus, contemnit foedera Clemens,
Sacrilega tractat Julius arma manu.
Et quisquam sceleris nomen formidat inane,
Auctores scelerum qui videt esse Deos?

IN ROMAM.

Hi colles, ubi nunc vides ruinas,
Et tantum veteris cadaver urbis,
Quondam coeca *Lupis* fuere lustra,
Donec per freta vectus Arcas exul,
Pani, pelleret ut *Lupos*, Lycaeo
Lupercalia festa dedicavit:
Nudos currere jussit et *Lupercos*,
Sacrum et collibus addidit *Lupercal*.
Sed vis insita, contumaxque flecti
Pervicit genius laborem et artem,
Et per saecula longa ne perirent
Istis semina collibus *Lupina*,
Tristis progenuit solum *Lupinos*,
Laetos progenuit *Lupos* salictum,

Et conjux *Lupa* Faustulo tyranni
Albani pecoris fuit magistro:
Et qui moenia prima condidere,
Nutrivit *Lupa* Romulum Remumque:
Et Floralia festa sunt *Luparum*,
Et quondam in media fuit Suburra
Vico urbis celeberrimo, *Lupanar*:
Et quos Fabricios gravis putabis,
Observa, invenies *Lupos* voracis:
Et quas Sulpitias reare castas,
Observa, invenies *Lupas* salacis,
Et ne posse Deos *Lupis* carere
Credamus, sacer est *Lupus* Gradivo,
Et *Lupos* mare laneos et amnis
Sub cryptam mediae vomit Suburrae:
Nec putris soboles araneorum
Non cognomine nobilis *Luporum* est:
Totam denique quantacumque Roma est,
Nascentem, vegetam excute, et ruentem,

Nihil comperies nisi *Lupercos*,
Lupercale, *Lupos*, *Lupas*, *Lupanar*.

IN EANDEM ROMAM.

Non ego Romulea miror quod pastor in urbe
Sceptra gerat, pastor conditor urbis erat.
Cumque *Lupae* gentis nutritus lacte sit auctor,
Non ego Romulea miror in urbe *Lupos*.
Illa meum superat tantum admiratio captum,
Quo modo securum servet ovile Lupus.

IN EANDEM.

Roma armis terras, ratibusque subegerat undas,
Atque iidem fines orbis et urbis erant.
Vincere restabat coelum, perfregit Olympum
Priscorum pietas aurea Pontificum.
At bona posteritas, ausis ne cedat avitis,
Tártara praecipiti tendit ad ima gradu.

FRATRES FRATERRIMI.

Cum Monachi fratres sint, quos vel candida vestis,
Vel nigra, vel gemino mixta colore tegit:

Quanta tamen miseros agitat discordia fratres,
Quam non fraternae foedera pacis amant!
Non ita germanum reducem trux oderat Atreus,
Atrea visceribus non satur ille suis.
Mitius Oedipodae soboles exarsit in iras,
Mitior indomitas incitat ira feras.
Eventu o simili cesset fraterna simultas,
Et dirimat calvos exitus iste patres.
Dentibus et gladiis in mutua funera currant,
Ira nec extremi cesset in igne rogi.

DE MONACHIS S. ANTONII.

Diceris, Antoni, porcos pavisse subulcus
Vivus, adhuc monachos lumine cassus alis.
Par stupor ingenii est, ventrisque abdomen utrisque,
Sorde pari gaudent, ingluvieque pari.
Nec minus hoc mutum pecus est brutumque suillo,
Nec minus insipidum, nec minus illepidum.
Caetera conveniunt, sed non levis error in uno est:
Debuit et monachis glans cibus esse tuis.

FRATRES EXTRA MUNDUM.

Pene, manu, lingua fratres munda omnia foedant,
In mundo merito sese habitare negant.

IN PETRUM GONELLUM DOMINICANUM.

In vino audivit verum latitare Gonellus,
Sesquipede extento pinguis aqualiculo.
Sicne, ait, in nugis frustra consumsimus annos,
Et tulimus tetricae jurgia lenta scholae?
Ergo vale sterilis veri Sorbona, tuumque
Accipe discipulum, docta taberna, novum.

Ex illo ad crassam scrutatur dolia fecem,
Pervigil et noctis perbibit atque dies.
Tandém consumtis foecunda in pocula nummis,
Hoc veri invenit: Nil scio, nil habeo.
Solandoque sui lepidè ludibria damni,
Socrate se jactat non minus esse sophon.

IN EUNDEM.

Cum vetus effuso biberetur milite vinum,
Nec fore maturum spes foret ulla novum:
Immatura pater biberet ne vina Gonellus,
Matura Stygias morte petivit aquas.

ADVENTUS IN GALLIAM.

Jejuna miserae tesqua Lusitaniae,
Glebaeque tantum sertiles penuriae,
Valete longum. At tu beata Gallia
Salve bonarum blanda nutrix artium,
Coelo salubri, fertili frugum solo,
Umbrosa collis pampini molli coma,
Pecorosa saltus, rigua vallis fontibus,
Prati virentis picta campos floribus,
Velifera longis amnium decursibus,
Piscosa stagnis, rivulis, lacubus, mari,
Et hinc et illinc portuoso littore
Orbem receptans hospitem, atque orbi tuas
Opes vicissim non avara impertiens,
Amoena villis, tuta muris, turribus
Superba, tectis lauta, cultu splendida,

Victu modesta, moribus non aspera,
Sermone comis, patria gentium omnium
Communis, animi fida, pace florida,
Jucunda, facilis, Marte terrifico minax,
Invicta, rebus non secundis insolens,
Nec sorte dubia fracta, cultrix numinis,
Sincera, ritum in externum non degener.
Nescit calores lenis aestas torridos,
Frangit rigores bruma flammis asperos,
Non pestilentis pallet Austri spiritu
Autumnus aequis temperatus flatibus,
Non ver solutis amnium repagulis
Inundat agros, et labores eluit.
Ni patrio te amore diligam et colam,
Dum vivo, rursus non recuso visere
Jejuna miserae tesqua Lusitaniae,
Glebasque tantum fertiles penuriae.

IN ANTISTITEM QUENDAM.

Esse Lutheranum rumor te, Posthume, clamat:
Sed tuus Antistes te tamen esse negat,
Tam scortaris (ait), quam si vel Episcopus esses,
Et potas dubiam pervigil usque diem:
Nec memor es Christi, nisi cum jurare libebit,
Nec scis scripturae vel breve Jota sacrae.
Nempe per haec suevit nunquam fallentia signa
Ille vigil sanas noscere pastor oves.
Quisquam igitur dubitat, rumorne an Episcopus erret,
Tam bene commissam qui sibi novit ovem?

IN CODRUM.

Ille senex civis rigidique exemplar honesti,
Codrus, heri parvo conditus est tumulo.
Sed neque funereae praecessit naenia pompae,
Pensilibus signis nec nituere faces:
Lurida nec pullam sumpsit cognatio vestem,
Tinnula nec moestos aera dedere sonos:
Funera nec densae celebrarunt agmina turbae,
Praefica nec luctum sollicitavit anus:
Vix datus est tumulus. Codrum si rere fuisse
Forte Lutheranum, fallere: pauper erat.

IN CHRYSALUM.

Flava Ceres longi spes interceperat anni,
Arnerat pigro vinea tosta gelu,
Morbus ovis rapuit, furto periere capellae,
Inter opus fracti succubuere boves.
Plena domus belli subito est direpta tumultu,
Et male celatas latro refodit opes.
Ergo opibus caris cum Chrysalus esse superstes
Nollet, et in laqueum jam sua colla daret:
Succurrit laqueum nummis venire quaternis:
Ergo nos gratis nec moriemur? ait.

Ensis adest; stricto transfigere pectora ferro
Dum parat, et sumtus hic quoque ad-
esse videt:
Tanti fossor (ait), tanti vespillo, sacerdos,
Cereus, et tanti cymbala rauca cre-
pant,
Et precibus pretium est etiam, pretiumque
sepulchro:
Ergo placet rapidis mergere corpus aquis.
Dumque cadit, certe quamvis, mare, dixit,
avarum es,
Attamen hic gratis, credo, jacere licet.

IN NEAERAM.

Cum primum mihi candidae Neaerae
Illos sideribus paris ocellos

Ostendistis ocelluli miselli,
Illa principium fuit malorum,
Illa lux animi ruina nostri.
Sic primis radiis repente tactus
Totus intremui cohorruique,
Ut leves nemorum comae virentum
Primis flatibus intremunt Favoni:
Et cor jam meditans ad illam abire
Per pectus trepidansque palpitansque
Jamque evadere jamque gestiebat:
Ceu solet puer artibus tenellis,
Quem nutrix gremio foyet, parentem
Affectare oculis et ore, parva
Jactans brachia: ceu solent volucres
Adhuc involucres volandi inani
Infirmas studio movere pennas:
Tum mens provida, virium suarum
Quippe conscia, ne locus dolosis
Esset insidiis, miselli ocelli,

Vos ad pectoris excubare portas
Insomni statione jussit. At vos
Sive blanditiis dolisve capti,
Seu somno superante, sive sponte
Consensistis, herumque prodidistis,
Fugit corque animusque, me relicto
Excorde, exanimo: quod ergo fletu
Nunc satisfacere arbitremini vos,
Nil est; quem lacrymis movere vultis
Non adest animusque corve: ad illam
Ite; orateque et impetrate ab illa,
Ni exoraritis, impetraritisque,
Faxo illam adspiciatis usque et usque,
Donec vos ita luce reddat orbos,
Ut me corde animoque fecit orbum.

AD EANDEM.

Quantum delicias tuas amabam,
Odi deterius duplo ampliusque
Tuam nequitiam et procacitatem,
Postquam te propius, Neaera, novi.
At tu si penitus perire me vis,
Si vis perdite amem, et magis magisque
Totis artubus imbibam furorem,
Sis nequam magis, et magis proterva.
Nam quo nequior es, proterviorque,
Tanto impensius uror inquieto
Ventilante odio faces amoris,
Et lentas iterum ciente flammas.
Quod si sis melior, modestiorque,
Odero minus, et minus te amabo.

AD EANDEM.

Risus, blanditiae, procacitates,
Lusus, nequitiae, facetiaeque,
Joci, deliciaeque et illecebrae,
Et suspiria, et oscula, et susurri,
Et quidquid male sana corda amantum
Blandis ebria fascinat venenis,
Hinc facessite: Jam vale Neaera.
At tu mens bona, sanitas, salusque,
Continentia, castitas, pudorque
Et modestia, veritasque simplex,
Fraudis acribus intuens ocellis,
Et quisquis male sana corda amantum
Funestis Deus eximis venenis,
Adsis: adsere me mihi, impotentis
Vix tandem dominae jugo solutum.

Frustra blanditiae appulistis ad me,
Frustra nequitiae venitis ad me,
Frustra deliciae obsidebitis me,
Frustra me illecebrae, et procacitates,
Et suspiria, et oscula, et susurri,
Et quidquid male sana corda amantum
Blandis ebria fascinat venenis,
Frustra jam aggrediemini dehinc me.
Quid me mollibus implicas lacertis?
Quid procacibus intuere ocellis?
Quid fallacibus osculis inescas?
Ne labris labra inepta, pectorive
Pectus consere, machinis nec istis
Ullus jam superest locus, nec arti:
Non sum stultus ut ante. Jam Neaera
Vale, dum bona, dum pudica, nobis
Caris carior aestimata ocellis.
At postquam es mala et impudica, nobis
Vili vilior aestumata coeno.

Eheu me miserum: statim voluta
Unda lucida per genas sinusque
Insultat tremulo fugax rotatu,
Et per turgidulas fluens papillas
Sensim gemmeus intumescit imber,
Mollis agglomerans decenter orbis.
Ergo haec possum ego lentus intueri?
Cernam ferreus ergo saxeusque
Corrumpi male tam bonos ocellos?
Haec si possum ego lentus iutueri,
Possum et ferreus esse saxeusque.
Quin vos mens bona, sanitas, salusque,
Continentia, castitas, pudorque
Et modestia, veritasque simplex,
Fraudis acribus intuens ocellis,
Et quisquis male sana corda amantum
Funestis Deus eximis venenis,
Hinc facessite: vos adeste rursus,
Risus, blanditiae, procacitates,

Lusus, nequitiae, facetiaeque,
Joci, deliciaeque, et illecebrae,
Et suspiria, et oscula, et susurri,
Et quidquid male sana corda amantum
Blandis ebria fascinat venenis:
Sic me vivere, sic mori süave est.

AD EANDEM.

Cum das basia, nectaris, Neaera,
Das mi pocula, das dapes Deorum,
Ut factus videar mihi repente
Unus e numero Deûm, Deisve
Si quid altius est, beatiusve.
Sed nectar mihi dulce basiorum
Sic fallacibus imbuis venenis,

Ut qui nunc fueram Deus, Deisve
Si quid altius est beatiusve,
Praeceps in Stygium datus barathrum
Degam Erinnyas inter, aut barathrum
Si quid sit Stygium infra Erinnyasve.
Sic statim mihi cor, jecur, medullas
Et venas tacite malum pererrat:
Sic corpus mihi tabe colliquescit,
Ardet ignibus, aestuat venenis:
Sic mentem mala pestis occupavit,
Ut sit nectare suavius venenum,
Vita mors potior, labor quiete,
Sanitate furor, salute morbus.

IN BELEAGONEM.

Judaeum, Beleago, quod negas te,
Et vis testibus id probare magnis:

Erras, testibus ista non probatur
Res (ut scis, puto), mentula probatur.

IN EUNDEM.

Huic, quem parentis colere debueras loco,
Beleago, vivo spolia detrahere capis,
Quod tu capellae non facis, nisi mortuae;
Lanium sciebant esse te cuncti, gradum,
Ut carnifex sis, inde paulatim facis:
Ne quaestus tibi non ferat lucrum tibi.
Ut carnifex sis, artis auspicium tuae
Aliunde malim feceris. Visne ut tibi
Dicam unde possis optime? ut si etiam parum
Ex arte facias, nil tamen peccaveris?
Suspende te ipsum, et si inepte id feceris,
Omnes probabunt, ceu foret factum optime.

IN EUNDEM.

Beleago, ut ipse testis est, si quid tamen
Firmum est, quod ille testis affirmaverit,
De gente nullam contrahit Judae notam.
Idem libellos, lectulos, et lintea
Scabella, scamna, stragula, et tapetia
Vendit, revendit, quin et e medio Into
Collecta scruta vendit, atque interpolat.
Lac, ova, pullos, allia, et cucurbitas,
Pepones, cucumeres, brassicam, lactuculas
Positis ad omnis viculos custodiis,
Domi ut revendat carius, praeoccupat.
Forique solus arbiter boarii est:
Forique solus arbiter piscarii est:
Forique solus arbiter olitorii est:
Forique solus arbiter cupedinis:
Forumque cunctis publicum magis foris

Res contrahentum conspicit semper domi.
Piscator, olitor, lanius, auceps, et coquus
Illo absque nullum contrahunt commercium;
Nec mula senio fracta, nec mulus tripes;
Nec asinus aeger, nec caballus morbidus
Venum sine illo poterit ire interprete.
Cuncta unde possit confici pecunia
Vendit, revendit, praestinat, habet quaestui.
Nec ullus opifex, emtor est, aut venditor,
Merx, ars, negotium, unde levis odor lucri
Spirat, quod ille non sagax praesentiat,
Non antevortat, occupetque et devoret,
Aut si id negatur, portiunculam tamen
Praerodat aliquam, solus et magnarius
Mercator, idem solus et scrutarius.
Si quis tot artis tractat unus sordidas,
Hoc axe natus, gente nec Judaeus est:
Beleago dicam has tractat artis sordidas,
Hoc axe natus, gente nec Judaeus est.

IN EUNDEM.

Beleago cunctas novit artis unice,
Has praeter unas, quas docet.
Beleago cunctas tractat artis commode,
Has praeter unas, quas docet.
Nec foenerator alter illo doctior,
Nec caupo quisquam argutior,
Mango nec ullus morbidos peritius
Servos equosque adulterat.
Nec in macello ponderum minutias
Sic lanius ullus exigit,
Lancem dolosam deprimitve cautius
Fractis adaugens ossibus.
Seplasianae nec tabernae lucrio
Interpolare astutior.
Nec publicanus e propinquis quispiam
Ad omne lucrum acutior.

Et inter artis sordidas monopolium
(Nam id laudo quod librarius)
Exercet, unus et veteramentarius
Et unus est scrutarius
Negotiator, unus est magnarius,
Et, si Laverna faverit,
Ni fallor, unus esse volet aquarius,
Unusque latrinarius:
Sector, coactor, quadruplator, institor,
Textorque, pictorque, et coquus.
Has tractat artis ille non incommode,
Has nempe didicit et tenet.
Quas est professus se tenere, non tenet,
Nec tractat artis, nec docet,
Nec scit docere, scire nec penitus studet,
Sed olida convictoribus
Ut ponit hirci latera pro vervecibus,
Corvosque pro caponibus,

Picasque caveae mortuas in carcere
Pro phasianis suggerit:
Sic ille misero credit auditorio
Se facile posse imponere;
Veterum Sophorum sic novis mendaciis
Adulterare dogmata.
Cum syllogismi implicitus haeret retibus,
Nutatque, sudatque, et stupet.
Dein ceu solutum sit probe impudentiâ,
Quod peccat ignorantia,
Et ridet ipse, et caeteris est risui.
Cur ergo quae nescit docet?
Quae scit docere, non docet? mendacium,
Quod prima ei sit artium.
Adversus artis ejus ut theoremata
Ne peccet imprudentia,
Quae nescit, illa scire profitetur palam
Se: scire, quae scit, pernegat.

IN AULUM.

Quam mihi promissam jubeo numerare Calenum:
Abnuit ille: Aulum consulo causidicum.
Is mihi judicio suadet contendere: causam
Suscipit: hac quidquam justius esse negat.
Quam mihi dum peragit decimumque extendit in annum,
Pene decem decies jam periere minae.
Ne lis quod superest exhauriat aeris et aevi,
Vito reum pariter causidicumque meum.
Certum est nil posthac promittentive Caleno,
Hortanti aut Aulo credere. Causa vale.

Quaeris utrum fugiam magis? Aulum. Namque Calenus
Verba dare, ast Aulus vendere verba solet.

IN POSTHUMUM.

Nescio an inspexti Narcissi, Posthume, fontem:
Hoc scio, deliras, Posthume, amore tui.
Ille tamen merito: nam quod male sanus amabat,
Ante quidem id multis causa furoris erat.
At tua non paulo est major vesania, qui te,
Sed sine rivali, Posthume, solus ames.

IN ZOILUM.

Frustra ego te laudo, frustra me, Zoile, laedis.
Nemo mihi credit, Zoile, nemo tibi.

AD LEONORAM.

Ecquid sis formosa? rogas, Leonora, frequenter:
Nec nisi jurato vis adhibere fidem.
Sic mihi nunquam Helene, sic nunquam Leda sit uxor,
Ut nec par Helene, nec tibi Leda fuit.
Di simul heroesque has, sed patienter amarunt:
Verum quisquis amat te, Leonora, furit.

IN EANDEM.

Omnia quod, Leonora, putant te vendere, falsum est:
Nam faciem, tibi quae caetera vendit, emis.

IN BELEAGONEM.

Gens duplex, Beleago, tuo de stemmate certat,
Nititur et causam quaeque probare suam.
Nulla tuis dictis quod sit constantia, Maurus
Indicium Libyci sanguinis esse putat.

Signa sui generis credit Judaeus acumen,
Quodque tibi est lucri tam furiosus amor.
Tu Lusitano genitum te sanguine jactas;
Nec tamen hoc aliter, te nisi teste, probas.
O utinam indiciis, aliove id teste probares:
Aut te certa foret testificante fides.
Sed mihi si credas, testis potes esse tibi ipsi
Utilis: hac una sed ratione potes.
Quae tibi pro fictis vis credi, ficta negato:
Et quae vera cupis credi, ea vera nega.

IN AMICUM QUENDAM.

Unus eras, memini, quondam de plebe; nec alter
Te minus in tota turgidus urbe fuit.
Nunc te alium credis, veteremque haud noscis amicum,
Splendidus in Tyria quod spatiere toga.
Falleris: hanc et ovis, qua tu nunc veste superbis,
Ante tulit, nec adhuc est aliud, nisi ovis.

AD NEAERAM.

Qualiter ad solem foliis morientibus arent
Candida virginea lilia secta manu:

Paulatim lento sic maceror igne, Neaera,
Ut primum radii me tetigere tui.
At mihi dum roseis tractim das oscula labris,
Sentit et attactus debilis umbra tuos,
Mens redit, et vigor ignescit, velut herba resurgit,
Cum levis arentem recreat imber humum.
Ergo quando oculis percuntem me oscula sanant,
Et mea in arbitrio vitaque morsque tuo est:
Perde, neca, ut visum est; sed dum pereo, oscula junge,
Saepe ut sic vivam, sic volo saepe mori.

IN LEONORAM.

Picta tibi est facies, mendax est lingua, manuque
Aeneus annellus, vitrea gemma nitet.
Quis tibi vel verum credet, Leonora, loquenti,
Quando tui nunquam pars caret ulla dolo?

E GRAECO.

Qui te videt beatus est,
Beatior qui te audiet,
Qui basiat, semideus est,
Qui te potitur, est Deus.

DE NEAERA.

Illa mihi semper praesenti dura Neaera,
Me, quotiès absum, semper abesse dolet.
Non desiderio nostri, non moeret amore,
Sed se non nostro posse dolore frui.

AD PONTICUM.

Arida torreret tibi cum praecordia febris,
Pontice, nec vitae spes foret ulla tuae,
Munera spondebas, coelumque in vota fatigans
Fundebas miseras ore tremente preces.

Audit vota Deus, febrim tibi pellit, et assem
Oblatum facilis pro nebulone capit.
At tu ideo sanctus vis et Dis carus haberi,
Teque virum credi scilicet esse pium.
Vir bonus esse potes, cujus caput asse redemptum est,
Judicioque tuo, judicioque Dei?

PRAEPOSTERA PIETAS.

Cum patre nil vivo tibi conveniebat: iniquis
Litibus exstinxti dissidiisque senem.
Defunctum nunc thure colis, tumulumque coronas
Floribus, et magna mole sepulcra locas.

Quamlibet his tumeas: pietas praepostera certe est,
In patre nil praeter funus amare patris.

IN PHILLIDEM.

Phillī, omnes deamas, redamat te, Phillī, nec ullus:
Miraris, fieri id qua ratione queat?
Nempe ideo, cunctos quod ames discrimine nullō,
Haec ratio est, cur te nullus amator amet.
Odero vis igitur cunctos? Male colligis istuc,
Nec te odisse velim: sed nec amare veto.

Quidnam igitur suades, ut amer? Sic suadeo: Nullum
Oderis: ast unum, Philli, ut ameris, ama.

AD LEONORAM.

Nupta prius mater fuerat: dein debilis aetas
Efficit hanc lenam nunc, Leonora, tuam.
At meretrix, quam nupta, prius tu filia matrem
Vincis, mox natae lena futura tuae.
Quid lenae neptis, meretricis filia, patre
Et monacho, tantis laudibus adjiciet?

Adjicit, et primis hanc atque hanc vincit in annis,
Pene infans matris jam quoque lena suae.
Scilicet ante annos generosi seminis arbor
Protinus in fructus luxuriare solet.

E GRAECO.

Liber eram, vacuo mihi cum sub corde Ncaera
Ex oculis fixit spicula missa suis.
Deinde unum evellens ex auricomante capillum
Vertice, captivis vincla dedit manibus.
Risi equidem, fateor, vani ludibria nexus,
Hoc laqueo facilem dum mihi spero fugam:

Ast ubi tentanti spes irrita cessit, aënis
Non secus ac manicis implicitus, gemui,
Et modo membra pilo vinctus miser abstrahor uno,
Quo dominae nutus me violentus agit.

AD LEONORAM.

Nescio, tot moechi tibi cum Leonora fuissent,
Cur monachum natae dixeris esse patrem;
Ni grege de tanto, qui nocte dieque ruebant,
Nemo minus monacho forte pudendus erat.

E GRAECO.

Pauper eram juvenis, senio confectus inerti
Sum locuples, misere sorte in utraque miser.
Quando frui poteram rebus, mihi copia deerat:
Copia nunc superest, fructus et usus abest.

E GRAECO.

Fata ferunt, fer fata, ferent: sin forte repugnas,
Et te ipsum crucias, nec minus illa ferent.

E GRAECO ANACREONTIS.

Et terra sicca potat,
Terrasque sylva, et aura
Sylvas, et aequor auras,
Et sol repotat aequor,
Et luna solem. Inique
Incessitis sodales
Me, quod bibam libenter.

JACOBO SYLVIO.

Sylvius hic situs est, gratis qui nil dedit unquam,
Mortuus et gratis quod legis ista dolet.

MARIA REGINA ANGLIAE.

Sum Maria, male grata patri, male grata marito,
Coelo invisa, meae pestis atrox patriae.
Nulla aberat labes, nisi quod fuit addita custos
Fida pudicitiae forma maligna meae.

IN ELISABETHAM ANGLIAE REGINAM.

Cujus imago Deae, facie cui lucet in una,
Temperie mixta, Juno, Minerva, Venus?

Est dea: quid dubitem? cui sic conspirat amice
Mascula vis, hilaris gratia, celsus honos:
Aut dea si non est, Diva est quae praesidet Anglis,
Ingenio, vultu, moribus aequa Diis.

AMOR.

Quis puer ales? Amor. Genitor quis? Blandus ocelli
Ardor. Quo natus tempore? Vere novo.
Quis locus excepit? Generosi pectoris aula.
Quae nutrix? Primo flore juventa decens.

Quo nutrit victu? Illecebris, vultuque venusto.
Qui comites? Levitas, otia, luxus, opes.
Cur puero belli semper furiosa cupido?
Impellunt avidae spes, trepidique metus.
Non metuit mortem? Non. Quare? Saepe renasci,
Saepe mori decies hunc brevis hora videt.

CHRYSALUS.

Dives opum, pauperque animi plus possidet auri
Chrysalus, in fulva quam vehit Hermus aqua.

Possidet inclusum sic caeci carceris umbris:
Nec procul infernis, ut reor, a tenebris.
Et decies una, vel saepius, inspicit hora,
Et numerans miseras usque fatigat opes.
Nec satis hoc: centum ferratis limina portis
Addita, centenis ferrea claustra seris.
Custodesque canes, atque horridus aere satelles
Excubat ad clausas pervigilatque foris.
Non miser uxori, non audet credere natis:
Frigida non pictis quos habet ara Deis.
Formidat, si vermis humo, mus exeat antro:
Si luteum Progne sub trabe figat opus:

Si trabibus laxum suspendit aranea cassem,
Esse putat nummis retia tensa suis.
Si sol remotas penetret vel luna fenestras,
Et tenuem fudit lux inopina diem:
Oblinit extemplo rimas, ne scilicet auro
Injiciat radios ille vel illa suos.
Nec minus obscuras formidat luce tenebras,
Et latebras promtas ad scelus omne duces:
Ipse suam veluti furem luctatur in umbram:
Gypsatas metuunt credula corda manus:
Huc labor, huc miseri spectat vesania voti,
Et trepidi semper corde micante metus,
Post inopis curas, et inania taedia vitae,
Dives ut ad Stygias isse feratur aquas.

Atque opibus mortem ceu placaturus avaram,
Semper inops vivit, ne moriatur inops.

AD DISCIPULOS.

Mos vetus est Jani dare mutua dona Kalendis,
Annus ut auspicio prosperiore fluat.
Et mihi quae possim dare, tantum verba supersunt,
Sed nostrum nemo vult sibi verba dari.
Nil dare non fas est, vanum est dare verba. Quid ergo
Restat? Verba dari qui tibi nolit, emat.

AD EPISCOPUM INDOCTUM.

Carmina portanti, Praesul, tua janua clausa est:
Munera portanti janua tota patet.
Praesulis ergo tenes perfecti munera solus:
Quippe animo cujus munera sola placent.

DE SE IPSO.

Vulgus me vocat et putat poëtam:
Astla non putat et vocat poëtam.
Nam si crederet esse me poëtam,
Avarum, puto, non putaret esse.
Aut si crederet esse non avarum,
Non pro carminibus malis, ineptis,

Incomtis mihi reddidisset aurum.
Quid causae rear esse, cur rependat
Probo rusticulum aula carmen auro?
Aula tam sapiens, et erudita,
Nec naris, neque judicandi egena?
At at, jam videor tenere causam.
Quae pro carmine dat malo bonum aurum,
Non dat carminis aestimationem:
Nec suum studium indicat legendi,
Sed fastidia vitat audiendi,
Nec me scribere, sed monet silere.
Et recte monet illa, si poëtis
Loquendi modus esset, et silendi.

IN POLYONYMUM.

Lusitanicus unus es mare ultra, et
Citra Algarbicus, Indicusque, Arabsque,

Persicus, Guineusque, et Africanus
Congusque, et Manicongus, et Zalophus,
Nec tuis titulis abest superbis
Aethiops nimio perustus aestu,
Nec circum triplicem refusus orbem
Cunctarum Oceanus parens aquarum.
Nec portus, neque merx, neque insula ulla est,
Lucelli unde levis refulget aura,
Quae te non titulo augeat. Tot ergo
Cui sunt nomina, nonne jure regem
Multis nominibus vocabo magnum?
Sed rex nominibus tot ille magnus,
Si belli furor, aut mare aestuosum
Occludat piperariam tabernam,
Famam foenore pransitabit emtam,
Versuram faciet vel esuribit.

EPITAPHIUM NICOLAI BACONIS PROCANCELLARII ANGLIAE.

Hic Nicolaum ne Baconem conditum
Existima illum tam diu Britannici
Regni secundum columen, exitium malis,
Bonis asylum, coeca quem non extulit
Ad hunc honorem sors, sed aequitas, fides,
Doctrina, pietas, unica et prudentia.
Neu morte raptum crede, qui unica brevi
Vita perennis emerit duas: agit
Vitam secundam coelites inter animus,
Fama implet orbem, vita quae illi tertia:
Hac posita in ara corpus animi olim domus,
Ara dicata sempiternae memoriae.

IN JULIUM II. PONTIFICEM.

Genua cui patrem, genitricem Graecia, partum
Pontus et unda dedit, num bonus esse potes?
Fallaces Ligures, et mendax Graecia: Ponto
Nulla fides. In te singula solus habes.

IN RUSTICUM.

Rusticus *hem* cunctos cum congeminaret ad ictus
Hiberno properans findere ligna foco:
Syllaba quid toties juvet *hem* geminata laborem,
Quaerenti uxori retulit ille: Juvat.

Nempe simul toto contentis corpore nervis
In rimam cuneum fortius ictus agit.
Illa memor Veneris media inter gaudia, telum
Ut penetret magis, *hem* congeminare jubet.
Nil opus est, inquit, nunc hoc conamine, conjunx,
Findere te sane nolo, forare volo.

E GRAECO STOBAEI DE BREVITATE VITAE.

Rebus in humanis nulla est constantia certa:
Veridico vates Chius ut ore canit.

JUL. CAES. SCALIGER,

V. CL.

AD GEORGIUM BUCHANANUM.

FELIX Georgi lacteae venae pater,
Quae ditat immensum mare:
Quid Barbarorum voce squalentem absona
Merisque nugis obsitum,
Inepturientem non ferendis artibus
Audire memet postulas?
Plectrumne Phoebo temperante Marsyas
Tentabit ictum pollicis?

Amabilis Thalia si faciat modos,
Garrire pica gestiet?
Te natum ad alta Pegasi cacumina,
Tepente susceptum sinu
Regina sacri magna Calliope soni
Liquore non noto imbuit,
Deditque palmam ferre de tot gentibus,
Latina quot colit cohors,
Puris beata voce tessellis nitor
Perstringit auris candidas:
Flexuque ducta vena dulcis aureo,
Quam sustulit, iterat sitim.
O me superbum, mole sublatum nova,
Te literatorum Deo.
Desideratum abesse me, ut scribis, doles;
Quod aliquid esse me putes:
Te te ipse contemplator, in quo cuncta sunt,
Et vota lenies tua.

IDEM.

DE G. BUCH. CARMINIS VENUSTATE.

HERI legebam nuper allatum mihi
Sapidum, tenellum, molle carmen, aureum,
Intelligendum vel puellis omnibus,
Si splendor, atque puritas, decus, nitor,
Animum subire luculentum ullum queat:
Intelligendum non facile doctis viris,
Nisi mentis excitetur ardor efficax,
Sententiarum propter ardorem merum.
De me ut loquaris, ut ego de me ipso loquar,

Intelligebam primulum ut simplex puer:
At ubi vir esse, ubi esse volui intelli-
gens,
Vocis serena luce perculsus tuae
De intelligenti intelligens nihil fui.
Hoc te volebam sic monere: ne pe-
tas
Me velle respondere, non enim audeo,
Hocque esse respondere, non respondeo.

IN

GEORG. BUCHANANUM

THEODORI BEZAE

CARMEN.

AUDIERAM Gottos, et quos Septentrio quondam
Barbarus immanis ultricem in numinis iram
Effudit populos, sceleratae moenia Romae,

Et quaecunque prius spoliato ex orbe sacrarant
Imperii fastusque sui monumenta Quirites,
Partim aequasse solo, partim injecisse voraci
Consumenda rogo: ut quae olim fastigia coelis
Intulerat, septem attollens in nubila montis,
Nunc prostrata suis celebretur Roma ruinis.
At non ingenium sollers, linguamque disertam,
Aeternis quibus illa opibus tot saecula felix
Roma olim cunctas inter caput extulit urbis,
Haec, inquam, reliquis longe anteferenda trophaeis,

Non equidem audieram, Gottosve aliasve ferocis,
Quas procul Oceanus gentis glacialis inundat,
Noscere, mirari nedum potuisse: rapacis
Barbarus ut praedae istius dulcedine captus
Injiceret Musis unguis, quas deinde rigenti
Captivas sic diligeret coleretque sub Arcto,
Ut medias inter glacies Boreaeque sonori
Pectora nata gelu Musarum ardore calerent.
Attamen hoc factum si quis dubitaverit, idem
Vel medio lucere die Titana negarit,

Vel te virtutesque tuas ignorat ineptus,
Aonidum immortale decus, Buchanane, sororum.
Nempe tibi extremae prope nato ad littora Thules
Os tenerum Aonides sic formavere puellae,
Sic Grajo pariter melle illevere labella,
Pectora Romano sic implevere sonore,
Ut te Roma, licet Scotorum ad littora natum,
Aequoreas inter cautis atque horrida cete,
Tanquam urbe in media civem sibi vindicet ortum:
Inde autem magni te Mantua clara Maronis
Juret stirpe satum, at contra Verona Catulli:

Asserat hinc Venusinus, et hinc Pelignus,
et inde
Corduba te repetat, repetat quoque Bilbilis inde.
At vatem interea Buchananum, Scotia, jactes
Una tutum, felix tantis natalibus una:
Macte quoque ingenii tanta virtute, Georgi,
Aeternum, et Latii spoliis ornatus opimis,
Invidiaque omni major, Buchanane, triumpha.

ANDREAS MELVINUS

GEORGIO BUCHANANO,

PRAECEPTORI SUO ET MUSARUM PARENTI.

Nuper te, BUCHANANE, cum viderem
Aegrum, languidulum, toro jacentem,
Et fato et capulo heu nimis propinquum;

Visus tum mihi sum videre Musas
Aegras, languidulas, toro jacentis,
Et fato et capulo heu nimis propinquas.
Te sensi ut meliuscule te habere,
Nec tristi vigilem toro jacere,
Verum exsurgere, munia ampla obire,
Regem visere, Regis et senatum;
Mox Musae meliuscule se habere,
Nec tristi vigiles toro jacere,
Verum exsurgere, munia alta adire,
Regem visere, Regis et senatum,
Regem coelicolûm, poli senatum,
Sensi. Hinc nomine paene restitutae
Valetudinis et tuae et sororum,
Doctarum, BUCHANANE, dux sororûm,
Quae tecum in torulo simul jacebant
Ah longum nimis, ah nimis nimisque

Aegrae, languidulae, parum loquentes:
Quae tecum in tumulo simul jacebunt
Ah brevi nimis, ah nimis nimisque
Et surdae et gelidae et nihil loquentes:
Ergo hoc nomine paene restitutae
Valetudinis et tuae et sororum,
Ut sortem tibi gratularer istam,
Gauderem mihi gaudium renatum,
Et longum tibi comprecarer aevum
Exsors taedii et anxii laboris,
Consors gaudii et otii beati,
Inscriptum tibi carmen exaravi:
Et pingui rudis arte lineavi;
Haustum e fontibus abditis sacrisque
Et sponte et subito calore fusum:
Non quale incolumes solent Camenae